

ARCHIVIO STORICO DELLA CURIA DIOCESANA DI VERONA

**VISITA PASTORALE
DI NOGAROLE ROCCA, OSTIGLIA
DI GIOVANNI BRAGADINO**

Vescovo di Verona

1754

REGISTRO LXIX



[A margine: HOSTILIA ET NOGAROLARUM]

1754

PRIMA VISITATIO ECCLESIARUM
VERONENSIS DIAECESIS
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI
IOANNIS BRAGADENI EPISCOPI VERONENSIS COMITIS ET CETERA
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE
PRAELATI DOMESTICI ET ASSISTENTIS

LIBER DECIMUS TERTIUS

LXIX

Nicolao Bovio Praesbytero Cancellario

INDICE DELLE PAROCCHIALI

- B** – Bagnol di Nogarole – San Martino, carte 81 tergo
- C** – Corriggioli – San Biaggio, carte 46; Castelberforte – San Biaggio, c. 75
- F** – Fagnan – Santa Maria, c. 69
- N** – Nogarole – San Martino, c. 87 tergo
- O** – Ostiglia – Santa Maria, c. 2; Ostiglia – San Lorenzo, c. 32
- P** – Pontepossero – Ogni Santi, c. 64

INDICE DEGLI ORATORI

- B** – Santa Barbara sotto Santa Maria di Ostiglia, carte 6 – Beata Vergine del Soccorso sotto San Lorenzo di Ostiglia, c. 37 – Beata Vergine della Misericordia sotto San Lorenzo di Ostiglia, c. 39 – Beata Vergine della Comune sotto San Lorenzo di Ostiglia, c. 42 tergo – Beata Vergine del Carmine alle Colombare sotto Nogarole, c. 89
- C** – Santa Croce sotto Santa Maria di Ostiglia, c. 19 – Santa Cattarina in Mazzagatta sotto San Lorenzo di Ostiglia, c. 45
- D** – San Donato di Varana sotto Nogarole, c. 90
- E** – Sant’Erasmo sotto Bagnol di Nogarole, c. 85
- F** – San Filippo Nerio sotto Fagnano, c. 69 tergo
- G** – San Giovanni Battista in Castel sotto Nogarole, c. 93 – San Giacomo di Cortalta sotto Castelbelforte, c. 76
- L** – San Lionardo sotto Nogarole, c. 86 tergo
- M** – Santa Marta sotto Santa Maria di Ostiglia, c. 6 tergo – Santa Margarita in Saletta sotto Nogarole, c. 92 tergo
- O** – Ospitale sotto Santa Maria di Ostiglia, c. 21
- P** – Santi Pietro apostolo et Antonio abate sotto Santa Maria di Ostiglia, c. 20 tergo
- S** – San Sebastiano sotto San Lorenzo di Ostiglia, c. 41 tergo – San Salvator del Bosco sotto Pontepossero, c. 65 tergo.

[1] In Christi nomine amen. Anno ab eius Nativitate millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, indictione secunda, die autem veneris vigesimo sexto mensis aprilis, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Benedicti, divina providentia papae decimi quarti, anno eius quarto decimo. Illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadeni, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, intendens primam suam pastorem visitationem ecclesiarum suae veronensis diaecesis, a se iam inceptam et majori ex parte expeditam, sed propter graviora suae ecclesiae negotia intermissam, continuare, ecclesias aliquas in agro mantuano et in sua veronensi diaecesi existentes et oves illas quae a pluribus annis Pastoris faciem non viderunt et propterea alias ecclesias eiusdem suae diaecesis in hoc veronensi districtu invisere statuit; quapropter, visitatione ipsa ecclesiis visitandis legitime intimata et praemissis admodum reverendis dominis Bartholomaeo Bottario et Iacobo Mondinio, sacerdotibus veronensibus qui, missionariorum munere fungentes, adventum suum prederent et ad praedicationis officia aliaque missionum opera incumbentes, populos disponerent ad uberiores sacrae visitationis fructus percipiendos; praemissoque etiam admodum reverendo [1^v] Domino ceremoniarum magistro, hodierna die hora vigesima, una cum eius illustrissimo domino vicario generali, me procancellario et admodum reverendis sacerdotibus aliisque familiaribus suis, in suam cathedralem descendit et, brevi facta oratione ante augustissimum Eucharistiae sacramentum, una cum suo comitatu e cathedrati egressus, rhedam suam conscendit et ad Insulam Scallarum, ibi pernoctaturus, iter suum direxit; quo in itinere a parochis et populis earum parochiarum per quas transivit continuo honore prosequutus est. Ad fines Insulae Scallarum perventus, presto ei fuit admodum reverendus dominus abbas Ioannes Maria Zimolo, archipraesbyter venerabilis plebis Sancti Stephani Insulae Scallarum, una cum eius clero, principalioribus communitatis et scholarum loci eiusdem, a quibus receptis devenerationis et obsequii argumentis et ab iisdem stipatus ad aedes usque parochiales ipsius loci Insulae Scallarum ibique iis cum sua benedictione dimissis, in aedes praedictas se se recepit, quieti indulset et somno se dedit. Die sabbathi 27 mensis aprilis 1754. Facto mane et receptis obsequii officiis a praefatis admodum reverendo archipraesbytero, clero et principalioribus loci Insulae Scallarum, quibus peramanter respondit et benedixit, rheda sua cum suo comitatu [2] conscensa, inceptum iter Hostiliam versus arripuit. Ad confinia Hostiliae praedictae, scilicet ad pontem Mulinum nuncupatum, illustrissimum et reverendissimum praesulem prestolabantur admodum reverendus dominus Ioannes Maria Draghi, archipraesbyter vicarius foraneus Sanctae Mariae Castri Hostiliae, admodum reverendus dominus Dominicus Mantuani juris utriusque doctor, rector Sancti Laurentii ipsius loci et admodum reverendus dominus Blasius Rossi, rector Sancti Blasii Corrigiolorum, cum eorum respectivo clero nec non illustrissimus dominus Alexander Nonius, advocatus Mantuae et praetor Hostiliae, una cum dominis deputatis et principalioribus ac populo loci praefati atque milites ab excellentissimo domino gubernio Mantuae commissi, a quibus omnibus summa veneratione exceptus et subsequutus, Hostiliam ad aedes nobilium dominorum comitum haeredum quondam nobilis domini comitis Raynaldi Pellicelli pervenit, in quibus iterum a praedictis dominis archipraesbyteris, rectoribus, clero, praetore, deputatis et principalioribus grati animi et obsequii argumentis receptis et militari honore, excellentissimi gubernii jussu, salutatus, mansionem suam statuit et incoenatus pernoctavit.

[A margine: OSTIGLIA SANTA MARIA] Die dominico 28 aprilis 1754. Orto sole omnibusque in ecclesia parochiali Sanctae Mariae dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad januas suae mansionis descendit, ubi eorundem militum cohors continuo aderat ibique sub baldachino – a sex loci [2^v] principalioribus gestato – receptus, crucem, sibi oblatam ab admodum reverendo domino archipraesbytero pluviali induto, super pulvinaribus stratis genuflexus, deveneratus et deosculatus est ac praeentibus scholis doctrinae christianae, sanctissimi Rosarii, sanctissimi Sacramenti et sanctae Crucis nec non clero et populo divinas laudes canentibus, processionaliter parochialem ecclesiam Sanctae Mariae Castri Hostiliae adivit, in cuius limine sistens se signavit aqua benedicta, populum aspexit et thurificationis honorem recepit. In ecclesiam ipsam progressus, ante divinum Sacramentum oravit decantatisque oratione et antiphona titularis, altare ipsum conscendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam impartitus est. Ad thronum sibi decenter paratum in cornu evangelii altaris majoris venit sumptisque sacris indumentis violacei coloris, sibi

inservientibus in dalmaticis admodum reverendo domino Ignatio Avesani, archipraesbytero Nogariae pro diacono et admodum reverendo domino Marco Antonio Caneti, rectore Vici pro subdiacono, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, persolvit. Dimissis violaceis, albisque sumptis sacris apparatusque praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae [3] sacramentum, in altari majori in tabernaculo marmoreo ac in pixide argentea intus inaurata servatum. Ex factis perquisitionibus habuit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; continuo ante ipsum lampadem ardere; communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi; sub hac cura adesse animas a communione 770, in totum vero 1155; dicti sanctissimi Sacramenti fieri solemnem processionem in festo sacratissimi Corporis Domini et tertia dominica cuiusque mensis; dum ad infirmos defertur, indulgentias associantibus concessas publicari, pro cuius decenti associatione extant suppellectiles necessariae, quas visitavit, ut infra in visitatione altaris maioris. Vidit aliam pixidem minorem, itidem argenteam, intus pariter auro linitam, qua utitur pro communicandis infirmis. Visitavit amygdalam, etiam argenteam intus inauratam, quae omnia vasa sacra rite confecta cognovit. Observavit etiam tabernaculum iuxta sacros ritus intus vestitum nec non ipsum extra, ita erectum ut nihil desit. Janua hostioli tuta clauditur clavi argentea, supra quod extat item argentea figura Redemptoris. Vidit etiam ostensorium argenteum radiatum, eleganter confectum, quod tuta forma est clausum. [3^v] Quapropter, cum omnia quae spectant ad custodiam et renovationem ac distributionem sanctissimi huius Sacramenti rite recteque atque etiam ornate instructa compertus fuerit, humili veneratione ipsam sanctissimam Eucharistiam a se cultam, cum ea, juxta formam pontificalis, populo benedixit. Ad thronum reversus depositoque pluviali, iterum ad altare majus accessit et, planeta assumpta, ibi sacrum fecit, quo absoluto et apparatusque pro missa celebrata exutus, pluviali iterum induit et, assistentibus praefatis diacono et subdiacono, sedit in cathedra super gradus eiusdem altaris maioris posita et ex ea omiliam recitavit, qua suum desiderium erga populum hostiliensem ostendit suamque charitatem unde multo ab hinc tempore cupiebat hosce suos filios videre et amplecti, nisi sollicitudo universae suae veronensis ecclesiae huc usque illum impedisset; deinde fervida oratione, quam mortiferum sit peccatum declaravit hortatusque est atque obsecravit ut fugerent ab eo, poenitentiam agerent dignosque se omnes praeberent, ut candidam vestem recuperarent, qua frui possent nuptiis Agni immaculati perpetuoque gauderent. [4] His actis, ad meridiem vergente die, ad aedes suae mansionis se restituit ibique prandiit. Die antedicta 28 aprilis 1754 post prandium. Convocatis per consueta signa in ecclesia parochiali Sanctae Mariae maribus utriusque scholae doctrinae hristianae, parochialis scilicet Sanctae Mariae praedictae et Sancti Laurentii, hora solita, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in ecclesiam ipsam descendit adoratoque divino Sacramento, mandavit domino archipraesbytero Sanctae Mariae, deinde domino rectori Sancti Laurentii ut, suo more, interrogarent discipulos eiusdem scholae circa fidei symbolum, decalogi praecepta, sacramenta aliaque quae pertinent ad religionem. Quod cum exequeretur, cognovit discipulos ipsos satis esse instructos quoad ea quae spectant ad aeternam salutem idque magis expertus est ipse interrogans pastoralis charitate eosdem discipulos, ita ut occasionem habuit comendandi diligentiam et zelum praefati domini archipraesbyteri nec non reverendi domini rectoris Sancti Laurentii et omnium qui dant operam in docendo christianam doctrinam. Audivit etiam libentissime nonnullos pueros recitantes invicem se se interrogando doctrinam Bellarmini, cum declarationibus ab eodem illustrissimo et reverendissimo praesule adiunctis. Hoc exercitio peracto, sedit in suo throno et interrogavit quo ordine haec schola dirigeretur audivitque [4^v] accedere methodum qua utuntur regulis diaecesanis. Vidit catalogum ubi describuntur confratres et eorum officiales. Posthaec paternis verbis hortatus est ut diligentius observent regulas praescriptas diaecesanas omnesque ecclesiastici sedulo incumbant in hoc opus laicique convenient vel ad discendam vel ad docendam christianam doctrinam, monendo omnes – si defecerint ab hoc officio – districtam Deo rationem reddituros esse, cum qui ignorant res necessarias pro eorum salute sine gravi culpa nequeant negligere hoc opus et qui non ignorant teneantur alios docere et praesertim si pressideant aliis, ut patres familias, domini et huiusmodi qui curam gerere debent eorum qui suaemet ipsorum sollicitudini commissi sunt. Visitavit subinde fontem baptismalem, prope januam majorem ecclesiae situm, clatris ligneis circumseptum; vidit fontem ipsum cum ciborio, quo cooperitur nec non cum conopeo lineo. Vidit vascula argentea pro oleis cathecumenorum et chrismatis, rite instructa. Observavit super

clatra baptisterii positam cratem pro audiendis confessionibus sacramentalibus, ita ut sacerdos sedere soleat intra eadem clatra. [5] Visitavit olea sancta, in loculo a cornu evangelii altaris majoris et in vasculis stanneis majoribus, in capsula ex nuce, sera et clavi munita; vidit etiam vasculum olei infirmorum argenteum, omnia rite instructa et sub sera et clavi tute custodita. Admodum reverendus archipraesbyter, parendo mandatis, obtulit policeas requisitas, quas ego subscriptus recepi et in fine huius libri posui sub littera A. Se contulit subinde ad visitandas sacras reliquias et in altari maiori exposita observavit duo reliquiaria lignea inaurata, in quibus custodiuntur reliquiae sanctorum martyrum, quae in visitatione anni 1712 recognitae fuerunt apud altare sancti Caroli huiusmet ecclesiae. Visitavit etiam alias sacras reliquias, unam scilicet quae est particula ex ossibus sancti Ioannis Nepomuceni martyris, cum suo authentico documento archiepiscopi pragensis, recognita in hac curia sub die 9 maii 1745 et servatur in theca argentea inaurata quaeque donata fuit ab excellentissimo Ferdinando Othone comite Traum Abspergh huic spectabili communitati, quam, cum observasset corrodi in fillis quibus colligatur, mandavit ut iterum muniatur novis fillis sericis, suo sigillo litterisque patentibus in forma et continuo custodiatur in custodia quae est in [5^v] altare sancti Hieronymi huius ecclesiae. Alteras reliquias, scilicet ex habitu sancti Francisci de Paula et ex osse sancti Pii martyris, repositas in parva theca argentea, ut describitur in documento illustrissimi domini Romagnoli de Romagnolis, vicarii generalis Mantuae, diei primae maii 1730; quam, cum observasset rite sigillo munitam, mandavit ut earundem reliquiarum fiat recognitio in forma, ut custodiatur in altare sanctae Catharinae martyris huius ecclesiae. Posthaec perexit ad visitandam sacram reliquiam sanctae Crucis Domini nostri Iesu Christi, custoditam in custodia altaris eiusdem sanctae Crucis, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Bernardini de Cianis, episcopi Montis Alcini diei 30 octobris 1737 munitam et in hac curia recognitam die 16 aprilis 1738, quam, adhibito thure, deveneratus est. Visitavit denique quatuor confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Vespere facto, rediens ad aedes in quibus moratur, cum compererit puellam vitae periculo laborare, quae antea sacramentis ecclesiae munita fuerat, ad ipsam in articulo mortis juvandam accessit et paterno sermone eandem [6] alloquutus est ut se se omnino ad bene moriendum pararet eidemque benedictionem est impartitus et ad praefatas aedes reversus, quieti se dedit et absque cibo obdormivit. Die lunae 29 aprilis 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, summo mane evigilans, hora statuta in antedictam ecclesiam Sanctae Mariae descendit praemissaque humili oratione ante augustissimum Eucharistiae sacramentum, sumptis sacris sacerdotalibus apparamentis, sacrosanctum missae sacrificium celebravit et septingentos circiter utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. Interea illustrissimus dominus vicarius generalis, una cum me infrascripto cancellario, se contulit ad visitanda infrascripta oratoria. Et primum [a margine: Santa Barbara] visitavit intra arcem Pontis Molini locum ubi erat oratorium sub titulo Sanctae Barbarae, descriptum in visitatione anni 1712, quem observavit non modo inornatum et nulla forma oratorii instructum, sed etiam omnino profanis usibus traditum, quod actum fuisse intellexit ab exteris militiis in postremis bellis; quapropter oratorium istud omnino suspendit et suspensum atque profanatum declaravit, praesertim cum in [6^v] eo loco situm sit ubi prorsus inconveniens ut ibi sacrosanctum sacrificium offeratur. [A margine: Santissimo Rosario o Santa Marta] Visitavit oratorium publicum Beatae Virginis Mariae a Rosario, Sanctae Marthae nuncupatum, in contracta *del Fenilone*, infra limites parochialis Sanctae Mariae proximum Ponti Molino, de iure patronatus nobilis domini comitis Francisci de Zanardis, a quo de omnibus manutinetur. In hoc oratorio unicum est altare, in quo extat icon representans beatam Virginem Mariam a Rosario, sanctum Carolum et sanctum Ludovicum. Observavit mensam eiusdem altaris ex lateribus constructam, super quam est ligneum operculum in cuius medio deprimitur portatile. Interrogavit utrum in hoc altare sit aliqua officatura vel obligatio responsumque fuit nullam extare obligationem celebrandi missas, sed ex devotione nobilis domini comitis patroni celebrari a reverendo domino Bernardino Sandri omnibus diebus festis et una die in qualibet hebdomada, ad libitum reverendi cappellani, qui stipem accipit ab eodem patrono. Vidit sacristiam et in ea visitavit sacras suppellectiles et vasa, quibus satis instructam esse cognovit; deficit tamen labellum et manutergium quae ordinata fuerunt in visitatione 1712. [7] In eodem oratorio adhuc servatur confessionale quod in praefata visitatione removendum mandavit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus viditque

cratem eiusdem latis foraminibus esse confectam. Observavit juxta januam huius oratorii capsulam pro eleemosinis colligendis, unica sera clausa et interrogavit a quibus et qua de causa eleemosinae colligantur responsumque fuit a domino Vincentio Rosina, factore nobilis domini comitis patroni colligi in hoc oratorio eleemosinas pro defunctis et servari in hac capsula, quae aperitur dupplici clavi, quarum altera ipse factor custodit, alteram admodum reverendus dominus archipraesbyter et quotiens aperitur capsula et extrahuntur eleemosinae dividuntur pro medietate, ita ut medietas una spectet ad dominum archipraesbyterum, altera praedictus dominus factor impendat in eleemosynis pro sacrificiis pro defunctis. Vidit etiam campanile, in quo est unica campana. Ordinata. Imago sanctae Marthae pingatur in icone eiusdem altaris vel ponatur in eodem – amoveatur operimentum ligneum et mensa perficiatur superiori sua parte, ita ut rite sit perfecteque constructa et portatile proximius sit sacerdoti celebranti - [7^v] mappae inferiores mundae apponantur et removeantur illae quae nunc sunt in eodem altari – exequatur illico ordinata in visitatione anni 1712 de ponendo labello cum manutergio in sacristia huius oratorii, alias procedetur prout de jure et cetera – erigatur crux ferrea in culmine tecti. Quibus habitis, ad ecclesiam parochialem reversus, vocavit admodum reverendum dominum archipraesbyterum eumque interrogavit utrum confessionale quod adhuc existit in supradicto oratorio de eius licentia et consensu ibidem sit ac utrum in eodem oratorio audiantur confessiones, cum praeiudicio juris parochialis et distractione parochianorum a sua ecclesia; qui respondit nullum a se cognosci praeiudicium hucusque sequutum ex eo quod hoc confessionale existat in eo oratorio neque parochianos distrahi a sua parochia et propterea consensisse ipsum et consentire ut ibi confessionale illud existat, salva tamen sua libertate revocandi huiusmodi licentiam et consensum toties quoties cognoverit ipse, vel eius successores cognoscere potuerint, aliquod praeiudicium contra jus parochiale vel aliquam distractionem populi a sua parochia. [8] Quibus auditis, indulsit et concessit illustrissimus dominus vicarius generalis ut illud confessionale remaneat, conditionibus tamen nunc et in futurum semper observatis, quas ipse admodum reverendus dominus archipraesbyter in suprascripto suo assensu adjunxit et salva episcopali licentia iterum confirmanda vel revocanda, prout expediens videbitur, non obstantibus ordinatis in praecedenti visitatione anni 1712. Interrogavit etiam eundem dominum archipraesbyterum supra expositis a domino Vincentio Rosini factore antedicto, quae spectant ad capsulam eleemosinarum; qui respondit veritatem dictam fuisse in eo quod spectat ad divisionem eleemosinarum et, tempore acto, concessum a se fuisse ut capsula duabus clavibus clauderetur, quarum una apud se remaneret, altera penes personam praefati domini Vincentii Rosina, sine tamen praeiudicio suo parochiali; nunc vero claudi una tantum sera, quae unica clavi aperitur, ita ut ipse dominus archipraesbyter uno ab hinc anno neque aperuerit capsam neque quid actum sit noverit. Hisce intellectis, cum eleemosynae in oratoriis intra limites parochiales positae de jure spectent ad archipraesbyterum, decrevit removendam esse capsulam quatenus dominus archipraesbyter sua sponte non consenserit ut ibidem remaneat; sed, si consenserit, decrevit [8^v] idem illustrissimus dominus vicarius generalis ut nullo pacto eleemosynae ab eadem extrahantur nisi praesente domino archipraesbytero vel alio ab eo delegato, declarando ad dominum Rosinam aut ad quemcumque alium nullatenus spectare colligere eleemosynas multo minus illas distribuere aut partem habere, sibi ressevans processurum prout de jure in casu contraventionis huius decreti et ita et cetera, omni et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus antedictus visitavit subinde altare maius, beatae Virginis Mariae Assumptae dicatum, cum portatili, in quo extat tabernaculum marmoreum, ubi custoditur divinum Sacramentum, caeterae quoque partes eiusdem altaris sunt marmoreae, decenti et ornata forma constructae. Vidit e regione eiusdem altaris lampadem argenteam cum lumine accenso et interrogavit dominum archipraesbyterum a quo oleum suppeditetur et ad quos spectet lampas; respondit argenteam lampadem esse societatis sanctissimi Sacramenti infrascriptae; oleum autem suppeditari a semetipso ex eleemosynis parochianorum. Vidit etiam super gradus candelabra lignea inaurata, cum cereis et interrogavit a quibus manuteneantur suppellectiles et cereae huius altaris. Respondit manuteneri suppellectiles et cereos [9] a praedicta societate sanctissimi Sacramenti. Vocavit dominum priorem societatis Corporis Domini, huic altari erectae, quae – ut constat ex antea visitationibus – erecta canonice fuit in hoc altari illumque interrogavit circa suppellectiles quae spectant ad cultum sacrosanctae Eucharistiae et respondit adesse necessarias suppellectiles ab ipsa societate paratas, videlicet baldachinum, umbrellas, fanalia, vellum super humerale,

ostensorium, turribulum, thronum pro exponendo eodem Sacramento et alium minorem pro sanctissimo Viatico, praeter alias suppellectiles, quae descriptae sunt in policea ab eodem domino priore exhibita et in fine huius libri posita ad litteram A, quibus suppellectilibus uti solet dominus archipraesbyter, etiam in suis functionibus parochialibus; haec omnia observata fuere ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo praedicto. Coram illustrissimo et reverendissimo praesule, cum eodem priore, comparuerunt confratres eiusdem scholae, amicti saccis cerulei coloris, qui conveniunt in processionibus quae fieri consuescunt ad cultum sanctissimae Eucharistiae in eadem parrocchiali. Interrogavit eosdem confratres utrum habeant redditus et eorum dominus prior respondit habere redditus prout descripti sunt in policea ut supra praesentata, cum obligationibus itidem in eadem descriptis. [9^v] Vidit ac visitavit libros et memorias sibi praesentatas a domino priore et confratribus huius societatis, in quibus observavit quotannis reddi rationem ab officialibus administrationis domino archipraesbytero ad id delegato; cognovit etiam redditus huius societatis esse librarum 1090.2 circiter monetae mantuanae; obligationes autem esse missarum centum quadraginta duarum, prout apparet etiam ex policeis ut supra praesentatis reddituum et obligationum, in quibus describuntur nomina eorum qui solvunt societati nec non quantitatem quam quisque debitor respective tenetur solvere, prout describuntur singillatim obligationes. Interrogavit utrum satisfiat obligationibus praedictis et respondit dominus prior consuevisse huc usque erogare eleemosynas pro missis octuaginta quatuor, praeter missas sexdecim ex legatis Iosephi Lorenzoli et Dominici Rossi, descriptis in praedicta policea, relictis post visitationem anni 1712; quod, cum intellexisset et observando policeas praesentatas atque alias quae sunt adnexae visitationi anni 1712, cognovit societatem defecisse et deficere ab adimplenda obligatione ex legatis quondam reverendi Iosephi Perini, quorum alterum est missarum decem, alterum missarum [10^v] triginta duarum; propterea, monitis reggentibus eiusdem societatis ne diutius suffragium institutum a praedicto testatore differant, considerato etiam quod bona fide huc usque non satisfecerint, decrevit ut diligenter inquirant a quo tempore societas cessaverit ab adimplendis iisdem legatis et, cognito tempore huiusmodi cessationis, teneantur deinceps annuatim satisfacere quadraginta duabus missis praedictis, addendo alias missas viginti quatuor, itidem annuatim, donec satisfactum integre fuerit pro antescripta ommissione, deputando dominum archipraesbyterum ut ipse praesideat ad cognoscendam ommissionem praedictam et ad executionem huius decreti et ita et cetera, omni et cetera. Interrogavit num hoc altare ab eadem societate manuteneatur; respondit ex redditibus societatis manuteneri hoc altare, cum ipsum sit de ratione eiusdem, cuius societatis impensis fit expositio sanctissimi Sacramenti quadraginta Horarum in festis natalitiis et Paschatis; et singulis diebus Quadragesimae, exceptis quartis feriis et diebus majoris hebdomadae, conveniunt confratres isti in processionibus quae fieri solent dominicis tertiis cuiuslibet mensis, in die Corporis Christi – ut dictum est – et in eius solemnitate die octava, praeter alias occasiones quando aliqua [10^v] publica supplicatio est facienda et praeter processiones quae fiunt quoties Viaticum ad infirmos defertur. Hisce actis, defatigatus, ad aedes praedictas reversus prandium sumpsit. Die antedicta 29 aprilis 1754 post prandium. Hora solita et per consueta signa convocata schola doctrinae christianae puellarum et mulierum utriusque paroeciae, scilicet Sanctae Mariae et Sancti Laurentii, in praedicta parochiali ecclesia Sanctae Mariae castri Hostiliae, illustrissimus et reverendissimus antistes in eadem ecclesiam descendit et, praemissa humili oratione ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, iussit ut interrogarentur puellae et mulieres utriusque scholae audivitque interrogationibus satis responsum fuisse, ut conicere posset non deficere ab instructione earumdem, prout mulieres et puellas non deficere a discenda christiana doctrina, comendavit diligentiam et charitatem dominarum priorissarum aliarumque officialium, omnium attentionem ad hoc tam necessarium piisque opus excitavit; ac tandem, sedens in sua cathedra, audivit disputationes quarumdam puellarum, maxima sui cordis consolatione, cum eas in primis in eadem christiana doctrina instructas cognoverit. [11] Expleto hoc exercitio et dimissis scholis praedictis, visitavit altare sancti Caroli, cuius mensa ex lateribus est compacta, quae assere tegitur, in quo est portatile parvum et distat a mensura canonica; ceterae eius partes sunt ex ligno; adest icon in quo depictae sunt imagines sacrae et praesertim illa sancti Caroli. In hoc altare custodiuntur reliquiae sanctorum martyrum, quae expositae sunt in altare majori, jam recognitae et visitatae, sed earum custodia non est sera et clavi munita. Hoc ipsum altare manuteneatur ex eleemosynis, cum nemo habeat jus patronatus in eo,

sed societas sanctissimi Sacramenti in solemnitatibus solet ex sua pietate suppeditare cereos. Duae sunt officiatorum in hoc altare, altera missarum duodecim, altera missarum quinquaginta quatuor annuatim celebrandarum, prout ex pollice domini archipraesbyteri, ut ante exhibita et primae obligationi satisfacit idem admodum reverendus archipraesbyter per se ipsum, qui quamprimum eligit cappellanum duodecim missarum, alteri obligationi satisfacit reverendus dominus Vincentius Boglioni, electus ab eo ad quem spectat onus suppeditandi eleemosynas et ut in pollice praedicti domini archipraesbyteri. Societas praedicta sanctissimi Sacramenti celebrare etiam [11^v] facit in hoc altare missas viginti quatuor, ex legato quondam reverendi Ioannis Magnani, prout ex testamento diei 13 septembris 1680. Quibus habitis, ad habitationem consuetam restitutus, incoenatus quievit. Die martis 30 aprilis 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, facto mane, in praedictam parochialem ecclesiam descendit praemissaque pia praeparatione, sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri; quo absoluto, supra quatuorcentum utriusque sexus christifidelibus angelorum Panem praebuit et quingentis circiter itidem utriusque sexus christifidelibus confirmationis sacramentum ministravit. Interea illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit altare sub titulo Conceptionis beatae Mariae Virginis, de ratione – ut constat ex praecedentibus visitationibus – haeredum quondam Caroli et fratrum de Bertiolis, scilicet Fausti Bertioi, a quo esset manutendum. Hoc altare ex lateribus et muro est constructum in eius partibus; habet antipectile ligneum depictum, mensa cooperitur assere, in qua fixum est portatile parvum, quod deficit a mensura canonica, sine tabellis, pulvinariis, [12] sine stragula et tela qua cooperiatur tempore Passionis. Icon est lacerum in aliquibus eius partibus et imago beatae Virginis in eius colore passa est. Eidem altari legatum fuisse redditum scutorum quinque, cum onere missarum duodecim asseritur in visitatione 1654 et in pollice praesentatis in visitatione anni 1712 scriptum legitur esse in hoc altare obligationem missarum, quibus non satisfacit. In visitatione anni 1712 refertur adesse aliquam missarum obligationem, quae tamen qualis sit non describitur, sed in visitatione 1654 enunciatum legatum fuisse redditum scutorum quinque, ab auctoribus Caroli, Saverii et Petri fratrum Bertioi, cum onere missarum duodecim et prout legitur etiam in pollice ut ante praesentata ab admodum reverendo archipraesbytero, in qua tamen describitur onus pro missis sex et uno officio. Interrogatus idem dominus archipraesbyter, ibi praesens, num satisfiat huic legato et oneri, respondit post mortem Caroli praefati Bertioi audivisse satisfactum minime fuisse. Vocavit dominum Faustinum Bertioi, filium praefati domini Caroli illumque interrogavit qua de causa huic legato et oneri non satisfiat et respondit onus in divisionibus datum fuisse suo genitori praefato, [12^v] sed, cum bona quae obtigerant suo patri ab eodem vendita fuissent domino Iosepho Bonazzi et ipse dominus Faustinus repudiasset patris haereditatem; propterea non teneri se ad adimplendum huiusmodi onus. Hisce intellectis, illustrissimus dominus vicarius generalis decrevit ut dominus archipraesbyter cognoscat ex testamento quo relictum fuit hoc legatum, quaenam bona fuerint obnoxia eidem et a quibus possideantur, ad effectum ut, servatis servandis et via juris, compellat debitores eiusdem legati ad solvendum redditum relictum, ad hoc ut impleatur onus iniunctum juxta dispositionem testatoris, ex qua resultabit utrum duodecim missae an sex cum officio sint celebrandae, iniungendo praeterea eidem domino archipraesbytero ut referat sibi seu illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo quidquid cognoverit vel exequutus fuerit, ut provideri possit prout erit de jure, quod sibi et auctoritati episcopali resservavit. Altare sanctarum Catharinae et Ceciliae virginum et martyrum, de jure patronatus nobilis familiae de Pelicellis. Hoc altare muro in omnibus eius partibus est constructum et iconem habet cum praefatis sanctis virginibus depictis, quarum in medio est imago beatae Mariae Virginis, cum eius sanctissimo Filio. Icon depictum cognoscitur a perito antiquo pictore, sed [13] modo lacerum est et in aliquibus eius partibus. In gradibus pro candelabris inest custodia ubi servatur reliquia, quae antea recognita fuit, sancti Francisci de Paula, super quos gradus est inixa tabula depicta representans imaginem eiusdem sancti Francisci; pulvinaria vidit lacera. In visitatione anni 1654 asseritur onera missarum adnexa esse huic altari, quibus nec tunc temporis satisfaciebatur, quare decretum fuit compellendos nobiles dominos Pellicellos ad adimplenda haec onera. Altare sanctissimi Crucifixi, alias sancti Nicolai de Tolentino, quod habet mensam lapideam cum portatili, quod deficit a mensura canonica, ceterae eius partes lateribus et calce sunt compactae; habet antipectile cum palio ex serico. Istud altare est de ratione huius ecclesiae, sed consuevit manuteneri ab haeredibus Genuizzi, qui ad praesens sunt domini Innocentius et Petrus

fratres Draghi; in eo sculpta extat imago lignea Iesu Christi crucifixi, quae crystallis clauditur. Simplex beneficium adnexum est missae quotidianae, quod describitur in visitatione 1712 et in pollicea a domino archipraesbytero praesentata, relictum a quondam domino Petro Genuizzi in suo testamento diei 18 septembris 1686 et prout in lapide in muro fixa a parte [13^v] evangelii eiusdem altaris, a quo testatore vocatur in iure patronatus familia Draghi tamquam eiusdem haeres, quod nunc possidetur ab admodum reverendo domino archipraesbytero, a quo per alium sacerdotem suppletur pro celebratione eiusdem missae quotidianae; sed, cum hoc sit beneficium ecclesiasticum – ut constat etiam in visitatione anni 1712 – ideo indulgit, non obstante lapsu temporis, ut haeredes praefati domini Draghi praesentent quamprimum idoneam personam quae possit institui juxta erectionem huius benefitii. In eodem altare est alia officiantura missarum decem et octo nec non in pollicea ut ante praesentata. In eadem visitatione 1712 solvebant domini heredes Bagolini stipem ratione solidorum quinquaginta monetae mantuae pro quaque missa, quibus successit dominus Ioannes Arloti, deinde Antonius Arloti eius filius, emptores a dominis Bagolinis, nunc vero dominus Ioseph Bonazzi, qui ab ultimo Arloto emit et solvit modo dominus comes Petrus Giusti veronensis, qui ex contractu inito cum eodem domino Bonazzi – ut assertum fuit – onus sumpsit solvendi stipem pro praefatis decem et octo missis, quod onus adimplet et missae celebrantur a [14] reverendo Vincentio Baglioni. In visitatione anni 1654 enunciatur hoc altare habere sex agros possessos a quodam Macchetta, successore camerae ducalis, pro quibus onus erat celebrandi missas et in visitatione 1712 confirmatum fuit decretum alias in visitatione factum contra haeredes quondam Peregrini Macchettae de non occupandis bonis eiusdem altaris, sub poena excommunicationis; cumque adhuc non appareat restitutos fuisse agros praedictos nec adimpletum oneri, confirmavit decretum alias factum contra usurpantes bona ipsa, declarans ipsos incursos in poenam excommunicationis. Altare sub titulo sanctae Mariae Liberatricis, muro in eius partibus omnibus constructum, in quo depicta est super pariete imago antiqua eiusdem Virginis Mariae cum Infante Iesu, crystallis clausa et corona lignea inaurata circum septa. Satis ornatum vidit hoc altare, quod est de ratione huius ecclesiae et manutenetur ex piorum eleemosinis, cum haec imago ibidem veneretur distincte. Portatile tamen habet minus mensura canonica, quamvis in postrema visitatione ut novum adponatur, rite factum, ordinatum fuerit. [14^v] Nulla est officiantura huic altari adnexa, sed in eo celebratur ex devotione. Altare sanctae Luciae, quod spectat ad hanc ecclesiam et manutenetur piorum eleemosini; habet portatile mensurae canonicae et iconem, antiqua et perita manu depictam, in qua sunt imagines sanctarum Luciae et Appolloniae virginum et martyrum et in earum medio beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu; eius omnes partes sunt ex muro. In eo extat officiantura seu simplex beneficium, de iure patronatus dominorum haeredum Thedoldi, ex testamento domini Ioannis Baptistae Caccini sub die 10 iunii 1665, in actis domini Christophori Marchini, notarii Mantuae, quod describitur in visitatione anni 1712 nec non in pollicea ut ante praesentata. Beneficiarius praesentatus ab eiusdem haeredibus, cum beneplacito domini archipraesbyteri, modo est reverendus dominus Philippus Visi, qui, interrogatus quot missas celebrat, respondit tot missas a se celebrari quot celebrari possunt ratione reddituum et ratione eleemosinarum triginta marcularum diebus ferialibus et quadraginta diebus festis. Asseruit ipse reverendus Visi beneficiarius hoc beneficium possidere quadraginta duos agros, qui tamen solvunt tertium camerae ducali. In postrema [15] visitatione 1712 asseritur onus huius benefitii esse missae quotidianae, sed, observato testamento praedicto, quod exhibitum fuit, cognovit tot missas esse celebrandas a cappellano quot eius conscientiae videbuntur celebrandae, habito respectu annuo redditui. Quapropter, cum asseruerit cappellanus praedictus ex eius conscientia impendi totum redditum agrorum relictorum a pio testatore in missis ut supra a se celebratis, illustrissimus dominus vicarius praedictus nihil ordinandum censuit, sed eiusdem cappellani conscientiam oneravit ut, habito respectu ad redditus annuos juxta mentem testatoris, tot missas celebret quot possunt celebrari cum eleemosynis juxta morem huius diaecesis. In eodem altare alia est officiantura missarum, legata a quondam reverendo domino Bernardo Caccino et in visitatione anni 1654 enunciatur possidere hanc officianturam agros quindecim, ab eodem testatore relictos, cum onere celebrandi diebus festis et tribus ferialibus, sed in postrema visitatione 1712 decretum fuit reccurrendum esse ad sanctam sedem apostolicam pro reductione canonica missarum earumdem, quod, cum non constet obtentum adhuc fuisse, ideo [15^v] illustrissimus dominus vicarius generalis monuit ut ii ad quos spectat reccurrant pro reductione et interim

satisfiat integre oneri ut supra relicto. Altare sancti Ioannis evangelistae, cuius mensa est muro constructa, cum portatili ad mensuram canonicam, ceterae eius partes lignae, in quo est icon antiquitus depicta a non spernendo pictore, quae rappresentat imagines sancti Ioannis evangelistae, sancti Antonii et in eorum medio beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu. Ordinatum fuit in visitatione 1712 ut hoc altare decentius teneatur, sed non admodum ornate servatur; est de jure patronatus nobilis familiae de Pancinis mantuanae, a qua manuteneri debet. In eodem est cappellania de jure patronatus eiusdem familiae, a qua nuper electus fuit venerabilis clericus Carolus Mantoani, diaecesis Mantuae. In pollicea domini archipraesbyteri asseritur aliud esse in hoc altare onus celebrandi quatuor missas, ex legato quondam Thomasinae Benassi ex eius testamento diei 20 iunii 1683, in actis domini Ioannis Francisci Casetti, cui oneri dominus Franciscus Tabonina satisfacit et idem dominus archipraesbyter adimplet onus celebrandi missas. [16] Altare sancti Hieronymi, quod est de ratione huius spectabilis communitatis, cuius mensa ex muro est constructa cum portatili minore mensurae canonicae et icone depicto cum imaginibus sancti Hieronymi et beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu. Hoc altare satis esset bene ornatum, nisi deficeret portatile canonicum. In hoc altari est onus celebrandi missas diebus festis et coadiuvandi in cura animarum domino archipraesbytero, ut constat ex anteactis visitationibus et ex pollicea ut ante praesentata, quibus oneribus satisfacit reverendus dominus Hieronymus Paduani et redditus percipit librarum tercentum monetae mantuanae. In gradibus huius altaris adnexa est custodia pro servanda reliquia sancti Ioannis Neopomuceni martyris, ut supra jam recognita. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, cum mensa marmorea, quae est consecrata, ceterae eius partes ornate et rite constructae, in quo est imago ligno sculpta eiusdem beatae Virginis Mariae. Hoc altare est de ratione societatis sub eodem titulo Rosarii institutae, quae canonice erecta fuit, pout alias in visitatione recognitum est; habet suas suppellectiles hoc idem altare argenteas et ornatas, prout in pollicea in fine huius libri posita ad litteram A. [16^v] Dotatum fuit hoc altare redditu scutorum quinquaginta, cum onere missae quotidianae a Julia Bottazzari anno 1604, ut constat ex inscriptione lapidea muro infixata in cornu evangelii ipsius altaris et ex visitatione anni 1654, cuius officiatorum nunc est cappellanus reverendus dominus Vincentius Baglioni qui, interrogatus quot missas celebrat, respondit celebrari a se missas centum quinquaginta; quo audito, ipsum monuit ut per quos spectat adimpleatur onus iuxta dispositionem testatricis, donec reductum fuerit auctoritate apostolica vel doctum fuerit de eadem reductione auctoritate praedicta. Praeterea aliae missae celebrantur in hoc altare a reverendo domino Ignatio Gualleri, ex officiatum instituta a quondam domina Barbara Macchetti, ut in pollicea praesentata ut ante, quae missae nunc celebrantur ad numerum septuaginta novem diebus festis. Societas haec habet suos redditus ad summam librarum 1101.1 monetae mantuanae, ut in pollicea a domino Francisco Bonazzi priore ut ante presentata nec non alia onera missarum ad numerum centum sexaginta unius, prout ex eadem pollicea; quibus oneribus satisfit a reverendo domino Ignatio Gualleri, cappellano ipsius societatis. Redditur ratio ab eadem societate reverendo domino archipraesbytero singulis annis. Posthaec ad suam mansionem illustrissimus et reverendissimus [17] dominus dominus episcopus se restituit, prandium sumpsit et paulisper quievit. Die antedicta 30 aprilis 1754 post prandium. Cum illustrissimus et reverendissimus praesul valde defatigatum se esse cognoverit, prosecutionem suae pastoralis visitationis intermittens, quieti hodie omnino indulgit. Die mercurii prima mensis maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, summo mane evigilans, in praefatam parochialem ecclesiam Sanctae Mariae sacrosanctum missae sacrificium celebraturus descendit inibique, sacerdotalibus indutus sacris apparamentis, sacrum fecit et tercentum circiter utriusque sexus christifideles eucharistico Pane refecit. In aedes parochiales subinde se recepit et paulisper quievit. Post parum quietis, in eandem ecclesiam reversus, supra mille et tercentum utriusque sexus christifidelibus confirmationis sacramentum ministravit. Dum haec per praefatum illustrissimum et reverendissimum antistitem agerentur, illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit altare sanctae Crucis, cum portatili ad mensuram canonicam, [17^v] cuius partes sunt omnes ex lateribus et calce compactae et habet antipectile cum corona lignea, cuius palium est sericum et supra gradus ipsius altaris extat custodia in qua servatur reliquia sanctae Crucis nudius tertius recognita. Icon est ab excellenti pictore antiquitus depicta et in ea sunt imagines sanctae Helenae quae Crucem retinet, sancti Sebastiani, sancti Dominici, sancti Petri martyris ac sancti Hieronymi. Altare ipsum observavit viditque ordinationes in postrema visitatione anni 1712 fuisse exequutas,

quin immo abundare sacris ornatisque suppellectilibus, prout describuntur in praedicta pollicea. Hoc altare spectat ad societatem sanctae Crucis, canonice erectae prout in visitationibus 1654 et 1712, quae societas aggregata est alteri societati laicali sanctissimi Crucifixi Mantuae. Eius confratres induunt vestem nigram cum cruce in pectore et habet suos redditus et onera ut in pollicea producta et ad litteram A ut ante posita redduntque rationem quot annis admodum reverendo archipraesbytero ad id episcopali auctoritate delegato. In hoc altare, praeter missas quas celebrare facere tenetur haec societas, ut in dicta eius pollicea, [18] extat etiam officatura instituta a quondam domino Antonio Gelmi, in instrumento erectionis in actis domini Ioannis Francisci Crivellenti die 14 aprilis 1730 celebrato pro celebranda missa quotidiana, cuius est cappellanus cum bullis huius curiae reverendus dominus Camillus Vecchi de hoc loco, pro quo supplet reverendus dominus Hieronymus Paduani. Altare sanctae Rosae, alias sancti Ioseph, quod est de ratione venerabilis hospitalis Sancti Antonii abbatis seu Sancti Petri, a quo manutenetur. Hoc altare est in omnibus suis partibus eleganti forma ex marmoribus expolitis constructum et habet novum iconem, in quo rappresentantur imagines beatae Virginis Mariae lauretanae, sanctae Rosae, sancti Ioseph, sancti Francisci de Paula et sancti Aloysii Gonzagae. Reaedificatum fuit sumptibus quondam excellentis doctoris domini Laurentii Bassanese medio eius testamenti et ornatum lampade, cruce, candelabris sex tabellisque, omnibus ex argento decenter elaboratis, quas suppellectiles argenteas custodiuntur a domino archipraesbytero juxta mentem eiusdem testatoris, a quo testatore etiam legata fuit in hoc altare missa cantata in die eiusdem titularis. In hoc ipso altari extat officatura quotidiana, ex legato quondam domini Marci Antonii Bellis, relicta [18^v] in suo testamento diei 27 ianuarii 1703 in actis Fortunati Masi, notarii Melariae ferrariensis, in quo conceditur jus nominandi cappellanum communitati et domino archipraesbytero huius loci et ad praesens cappellanus est reverendus dominus Antonius Rossini, qui stipem percipit ab eodem domino archipraesbytero, cui livellarii huic legato subiecti solvunt affictus et prout constat ex pollicea ut ante praesentata. Visitavit etiam altare sancti Francisci, quod in visitatione anni 1712 enunciatum fuisse de ratione dominorum Astorii et Paganini, nunc vero reaedificatum fuit eadem forma iisdemque marmoribus quibus constructum est altare sanctae Rosae et iisdem impensis excellentis Laurentii Bassanese, ex cuius etiam legato ornatum extitit lampade, cruce, quatuor candelabris et tabellis, omnibus ex argento similibus illis altaris sanctae Rosae. Icon nuper depictum in praedicto altari rappresentat imagines sancti Francisci, sancti Nicolai, sancti Antonii, santi Laurentii et sancti Placidi. In hoc altare est simplex beneficium, institutum a quondam domino Marco Antonio Bellis, cum obligatione missae quotidianae, in eius testamento supra recensito in visitatione altaris sanctae Rosae et prout in pollicea ut ante praesentata a domino archipraesbytero, quod possidetur [19] a domino Scipione Dari, sacerdos qui adimplet onus praedictum. Ex legato praefati excellentis domini Laurentii Bassanese celebranda est in hoc altare missa cantata in die sancti Nicolai. Quibus expletis, illustrissimus et reverendissimus praesul, ad suam mansionem reversus, quieti se dedit et prandium sumpsit. Die antedicta prima maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, pastoralis zelo muneri suo incumbens, ad visitanda oratoria infrascripta perexit. Et primum [a margine: Santa Croce] visitavit publicum oratorium sub titulo Sanctae Crucis, intra fines paroeciae Sanctae Mariae castri Hostiliae situm, de ratione societatis sub eodem titulo, quam canonice erectam observavit illustrissimus dominus vicarius generalis in visitatione altaris sanctae Crucis in praedicta ecclesia parochiali, in quo oratorio unicum est altare, in quo celebrantur missae aliquae ex oneribus ut in pollicea praesentata et ut ante posita. Hoc altare est muro constructum cum antipectile serico corona lignea circumdatum. Super gradus a candelabris est imago ex ligno sculpta Domini nostri Iesu Christi mortui, sub crystallis servato, [19^v] et super ea icon rappresentans depositionem e Cruce eiusdem Domini nostri Iesu Christi. Interrogavit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus qui sit cappellanus huius societatis, qui celebrat missas, vel in altari eiusdem sito in ecclesia parochiali, vel in hoc oratorio et an adsit praesens responditque admodum reverendus dominus Ioannes Maria Draghi archipraesbyter capellanum huius societatis esse reverendum Ernestum Zanichelli, non esse autem illum praesentem, cum infirmitate domi detineatur. Interrogavit utrum iste sit sacerdos diaecesanus an alterius diaecesis et respondit idem dominus archipraesbyter illum esse diaecesis mantuanae. Interrogavit an ipse habeat a se mandatum celebrandi in hac sua diaecesi; respondit habuisse huiusmodi mandatum ab hac curia,

quod tamen non confirmatum esse credit. Quibus intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus praecepit praedicto admodum reverendo archipraesbytero ut moneat sua auctoritate eundem praesbyterum Ernestum Zanichelli ut praesentet, antequam haec visitatio absolvatur, mandatum praedictum, quatenus illud habeat, et quatenus vel non habuerit, vel facultas celebrandi expiraverit, moneat ipsum ut, termino unius mensis ab hac die, praesentet [20] suas testimoniales episcopatus Mantuae, ad effectum renovandi facultatem eidem ut celebrare possit in hac diaecesi, quae eidem non confirmabitur nisi praesentaverit quoque juratas attestaciones ipsius domini archipraesbyteri de eius bonis vita et moribus, de veste decenti qua induere solet, de frequentia ad doctrinam christianam et ad functiones ecclesiasticas, cominando eidem ut, expirato termino, sibi ut supra concesso et non parito, nequeat amplius in hac diaecesi celebrare, quod nunc pro tunc ipsi interdicitur, sub poenis prout de jure et arbitrio suo resservatis, de qua monitione illico facienda idem dominus archipraesbyter teneatur referre executionem, ad hoc et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Retro altare vidit locum pro sacristia, et in eo sacras suppellectiles et vasa sacra, descripta in pollicea ut ante exhibita, quae omnia sunt decenti forma parata. Ordinata. Termino dierum triginta ab hac die adimpleatur ordinatio visitationis 1712 facta de providendo portatili ad mensuram canonicam aptando in altari; aliter, dicto termino elapso et non exequuta ordinatione praedicta, altare idem sit suspensum, prout illud nunc pro tunc suspensum declaravit. [20^v] Quibus habitis. [A margine: Santi Pietro Apostolo et Antonio Abbate]. Visitavit publicum oratorium Sanctorum Petri Apostoli et Antonii Abbatis, intra fines Sanctae Mariae castri Ostiliae quod habet duo altaria: aliud majus sub titulo Sanctorum Petri Apostoli et Antonii Abbatis, qui representantur in icone perantiquo a non spernendo pictore depicto, in quo sunt etiam imagines beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu et sancti Sebastiani. Altare ipsum in omnibus eius partibus est ligneum, satis decenter constructum, non tamen exequuta fuit ordinatio postremae visitationis 1712 de parando novo portatili ad mensuram canonicam, stragula, pulvinaribus et deficit etiam tela cerata. Alterum altare, sub titulo eorumdem sanctorum Petri et Antonii, est ligneum in omnibus suis partibus et nulla ordinatio peractae visitationis 1712 in eo exequuta fuit. In hisce altaribus nulla est obligatio missarum; manutinentur tamen – prout totum oratorium – impensis hospitalis cui hoc oratorium est adnexum. Vidit et visitavit sacristiam et in ea suppellectiles sacras et vasa sacra, de quibus in pollicea ad litteram A in fine huius libri posita, [21] quae observavit pauperima esse, non tamen suspendenda aut interdicenda. Ordinata. Utraque altaria sint suspensa donec in iis aptentur portatilia ad mensuram canonicam, sed cooperiatur altare minus assere novo, ita ut nulla in eo sint rimae et aequalis forma sit in mensa – itidem, donec provisum fuerit de stragulis quibus cooperiantur altaria nec non de pulvinaribus, de telis ceratis et de tela pro cooperiendis iconis tempore Passionis – erigatur in sacristia labellum cum manutergio pro abluendis et abstergendis sacerdotum manibus. Peracta visitatione huius oratorii, perexit ad visitandas aedes hospitalis praedicti, [a margine: Hospitale] in cuius aedes ingressus, sedit in loco ubi congregationes habentur et interrogavit qui sint huius hospitalis reggentes et responsum fuit pressidere illustrissimum dominum potestatem et regi hoc hospitale a domino archipraesbytero et quatuor consiliariis huius communitatis, a quibus eliguntur massarius et custos; massarius autem est dominus Ioannes Franciscus Lornazzi et custos Franciscus Vesentini. [21^v] Hoc hospitale habet suos redditus, ut in pollicea praesentata et infra ad litteram A posita, quae impenduntur in peregrinis et infirmis hospitandis et in aliis eleemosinis, quae distribuuntur cum mandato praedictorum reggentium. Interrogatus dominus archipraesbyter, ibi praesens, an singulis annis reddantur a ministris rationes juxta formam praescriptam a sacris canonibus et alias in visitationibus ordinatum, qui respondit reddi singulis anni huiusmodi rationem seque esse praesentem quoties ratio haec redditur. Dominus massarius antedictus obtulit libros: alium scilicet instrumentorum, alium catastici, laudabili diligentia descriptos. Alium librum oblatum observavit convocationum, ex quo cognovit quot annis in mense decembris fieri computa et reddi rationes, quae subscribuntur ab illustrissimo domino potestate, ab admodum reverendo domino archipraesbytero, ad hoc alias in visitationibus delegato et a quatuor consiliariis huius communitatis nihilque esse quod super administratione sit ordinandum. Visitavit cubicula huius hospitalis, quae sunt tria cum tribus lectis, decenter instructis pro hospitandis honestioribus personis. Duo alia cubicula majora inferiora visitavit, in quorum primo sex sunt lecta, in altero duo pro [22] hospitandis peregrinis se junctis maribus a feminis. Quibus habitis, ad aedes suae

mansionis se restituit et coram eodem illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo comparuit admodum reverendus dominus archipraesbyter et, humili reverentia, exposuit a se exequutam fuisse monitionem, prout dominatio sua illustrissima et reverendissima sibi in visitatione oratorii Sanctae Crucis comisit ac juxta tenorem eiusdem monuisse praesbyterum dominum Ernestum Zanichelli de omnibus et singulis in eadem monitione contentis; qui praesbyter Ernestus sibi traddidit mandatum huius curiae ad missas diei 21 ianuarii 1746 ad sex menses datum, stantibus dimissorialibus illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi Mantuae, ordinarii sui, ad annum datis die 14 mensis et anni praedictorum, quod mandatum ab eodem admodum reverendo domino archipraesbytero exhibitum fuit. Quibus intellectis eodemque mandato viso, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, stando in decretis comisit eidem domino archipraesbytero ut iterum admoneat praefatum praesbyterum Zanichelli ut, servatis servandis, in admonitione eidem sua auctoritate facta, praesentet novas dimissoriales litteras sui illustrissimi et reverendissimi ordinarii nec non attestations juratas ipsius domini archipraesbyteri super iis de quibus testari iussum fuit, ad effectum concedendi novum mandatum, salvis omnibus in eadem admonitione decreti [22^v] et ita et cetera. Posthaec quieti indulsit et incenatus obdormivit. Die iovis 2 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus in praefatam parochialem ecclesiam se contulit, in qua sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri et centum circiter utriusque sexus christifidelibus Panem angelorum praebuit et supra biscentum circiter utriusque sexus itidem christifidelibus paterna charitate confirmationis sacramentum ministravit. Interea illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit altare sub titulo Annunciationis beatae Virginis Mariae, quod est super atrium ecclesiae, in loco ex quo in ipsam ecclesiam prospicitur, decenter constructo viditque altare ipsum ornatum in omnibus eius partibus, quae tamen sunt lignae argento auroque linitae, cum icone rappresentante Annunciationem beatae Virginis Mariae et cum portatile ad mensuram canonicam. Hoc altare erectum fuit episcopali auctoritate, cum licentia ab hac curia data sub die 16 februarii 1735, cuius documentum fuit exhibitum ab admodum reverendo domino archipraesbytero una cum inventario suppellectilium ad idem altare pertinentium, [23] quod in fine huius libri ad litteram A positum fuit. In eodem documento legitur licentiam istam concessam fuisse supplicationibus confratrum beatae Virginis Mariae in oratorio Sanctissimae Annunciationis, quod, cum illustrissimus dominus vicarius observasset eundem dominum archipraesbyterum praesentem, interrogavit utrum fuerit oratorium antequam concederetur facultas erigendi altare; utrum canonice erecti sint confratres sub titulo praedicto; qui respondit numquam antea fuisse oratorium, sed in hoc loco societas sanctissimi Sacramenti custodiebat eius suppellectiles, prout etiam de praesenti custodit; nullatenus autem esse canonice erectam confraternitatem sanctissimae Annunciationis, sed congregari in hoc loco solere plurimos devotos piosque homines, qui summo mane offitium beatae Virginis Mariae persolvunt diebus festis et ab istis, qui colunt beatae Virginem Annunciatam ab angelo, petitam fuisse facultatem erigendi hoc altare et ab iisdem idem altare suis ultroneis elemosynis, una cum suppellectilibus descriptis in policea ut supra praesentata, manuteneri; quod cum intellexerit, comendata horum hominum pietate et devotione, praedictam facultatem confirmavit, non obstantibus enunciationibus in [23^v] eadem perperam factis. In eodem altari vidit sacram reliquiam veli beatae Virginis Mariae, in parva theca argentea ovalis formae, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini fratris Bonaventurae Barberini, archiepiscopi Ferrariae diei 14 maii 1741 munitam et in hac curia recognitam die 22 mensis martii 1742. Huic altari concessa est indulgentia pro universis utriusque sexus christifidelibus in die Annunciationis beatae Virginis Mariae visitantibus, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 12 martii 1753 et in hac curia viso die 6 augusti eiusdem anni. Ex dicto loco descendens, visitavit domum parochialem, quam vidit impensis camerae arciducalis Mantuae restauratam. Visitavit atque vidit etiam sacristiam, quae decenter est constructa; observavit vasa sacra et suppellectiles in eadem dispositas, quae omnia descripta sunt in policea ut ante a domino archipraesbytero praesentata et cognovit ornate et ecclesiae ritibus servatis parata esse, ita ut nihil ordinandum duxit. Monuit tamen ut in eadem sacristia ponatur tabula obligationum ecclesiae parochialis, altarum et societatum distincte descriptarum, ad hoc ut [24] cognosci possint quales obligationes sint, quantae et quo tempore adimplendae. Visitavit totam ecclesiam et in ea pulpitum, in quo alternatim in Quadragesima et in Adventu conciones habentur; nam alternis annis praedicatio

fit in ecclesia Sancti Laurentii et concionatores eliguntur ab hac comunitate et ab eadem stipem recipiunt in Quadragesima librarum quingentarum monetae mantuanae et in Adventu librarum sexaginta similibus. Organum quoque vidit, cuius stipe comunitatis manutinetur. Ecclesia haec est consecrata et dies anniversaria consecrationis collitur die undecima augusti; habet redditus et obligationes ut ex policea jam praesentata ab admodum reverendo domino archipraesbytero estque dicata Assumptioni beatae Virginis Mariae Immaculatae. Vidit denique et visitavit chorum retro altare majus, scamnis et genuflexoriis ligneis depictis ornatum nec non campanile, in quo sitae sunt tres campanae. Properata jam hora, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad aedes saepedictae suae mansionis reversus est et paratum prandium sumpsit. [24^v] Die antedicta 2 maii 1754 post prandium. Ut haec spectabilis communitas sui obsequii continuum praestet erga illustrissimum et reverendissimum praesulem argumentum, paravit academiam musicorum instrumentorum et cantorum in aedibus praefatis et, factis supplicationibus ut tantisper a suis pastoralibus sollicitudinibus quiesceret, pastorem suum scelectis cantibus et instrumentorum concentibus recreavit eaque absoluta, incoenatus somno se dedit. Die veneris 3 maii 1754. Cum hodie solemne festum Inventionis sanctae Crucis celebretur et societas de qua supra in visitatione altaris sanctae Crucis solemniter hanc festivitatem celebrare cupierit, dominus Vincentius Baglioni prior caeterique reggentes et confratres eiusdem societatis humillimas supplices preces obtulerunt illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo ut, sua praesentia et pontificali ritu, dignaretur missae solemniter ab eorum domino archipraesbytero celebrandae assistere nec non processioni consuetae adesse; cumque illustrissimus et reverendissimus praesul his precibus annuisset, confratres societatis sanctissimi Sacramenti supplicaverunt eorundem illustrissimum et reverendissimum antistitem ut haec solemnis functio missae ageretur [25] in altari majori, de eorum societatis ratione, mandavit ut decentius sacra ista actio fiat, sine tamen praeiudicio quocumque eorum praefatae societatis. Horum etiam confratrum supplicationibus annuit mandavitque hanc solemnis missae functionem peragendam in majori altari, in quo missa eadem celebrata fuit ab admodum reverendo arcipraesbytero huius plebis et pontificalibus ritibus astitit idem illustrissimus et reverendissimus praesul; assistentibus admodum reverendo domino Ioanne Maria Reggiani in officio praesbyteri assistentis et admodum reverendis dominis Iosepho Concini, archipraesbytero Riperii et Gasparo Righelli, archipraesbytero Bonitii diaecesis Mantuae, altero diacono et altero subdiacono, haec functio omni decore celebrata fuit, scolasticis musicis cantantibus scelectoque instrumentorum concentu. Qua functione expleta, ad suas aedes reversus prandium sumpsit. Die antedicta 3 maii 1754 post prandium. Illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit oratorium privatum in aedibus nobilis familiae de Pelicellis, ubi illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in hac visitatione degit, positum in locis inferioribus eiusdem domus et, cum interrogasset an auctoritate apostolica et cum approbatione episcopali illud fuerit erectum responsumque fuisset illius documenta servari Mantuae apud dominos [25^v] eiusdem oratorii et forsitan exspirasse facultatem qua concessum fuerit cum obierit nobilis dominus comes Raynaldus Pelicelli, cui ipsum oratorium fuerat indultum; cumque vidisset portatile non esse mensurae canonicae, ordinavit ut, termino duorum mensium, medio admodum reverendi archipraesbyteri doceatur haec curia episcopalis de legitima facultate celebrandi missas in hoc oratorio et, quatenus adhuc duret, provideatur eodem termino de portatili ad mensuram canonicam; aliter oratorium ipsum suspendit et, eo termino elapso, illud suspensum declaravit. Coram eodem illustrissimo domino vicario generali comparuit Anna Maria vidua, relicta quondam Dominici Anderlini, annorum 50 circiter obstetrix, quae, examinata circa formam et materiam baptismi et alia quae ad hoc sacramentum eiusque offitium pertinent cumque satis instructam cognovisset, illam adprobavit. Vespere solemniter in ecclesia parochiali decantato, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad illam rediit ibique orationem panegiricam in honorem sanctae Crucis a patre ordinis strictioris observantiae sancti Francisci audivit; qua expleta, processio incoata fuit cum translatione eiusdem sacrae reliquiae sanctae [26] Crucis, quam cum veneratione in manibus gestavit illustrissimus dominus vicarius generalis, associatus ab admodum reverendis dominis archipraesbyteris huius plebis et Villae Pictae pluvialibus indutis, precedente frequentissimo utriusque sexus populo et laicis scolis et universo clero, singulis confratribus et ecclesiasticis lumen manibus suis portantibus et subsequente illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo, habitu suo episcopali induto; qua itidem functione

completa, ad edes relatas se restituit et absque cibo quievit. Die sabbathi 4 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum illustrissimo domino vicario suo generali, in aedibus suae mansionis pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt dominus Franciscus Bonazzi et dominus Felix Casetti, principales huius communitatis qui, interrogati de vita et moribus reverendorum sacerdotum et clericorum in hac paroecia degentium et an in hac eadem paroecia sint publici peccatores, respondit admodum reverendum dominum archipraesbyterum et vicarium foraneum officio suo omni diligentia fungi; sacerdotes et clericos qui sunt huius diaecesis honestam vitam ducere nullumque publicum peccatorem – Dei gratia – adesse. [26] Admodum reverendus dominus Ioannes Maria Draghi, archipraesbyter Sanctae Mariae castri Ostiliae, qui hoc benefitium obtinuit anno 1748 die 8 augusti, ad quod praesentatus fuit parte et nomine serenissimi ducatus Mantuae, de cuius jure patronatus est hoc idem benefitium et ostendit bullas eius institutionis nec non mandatum vicariae foranae in hisce partibus ab hac curia deputatus; qui, interrogatus de vita et moribus sacerdotum et clericorum in hac paroecia degentium et an in ea sint publici peccatores, respondit sacerdotes et clericos huius diaecesis honeste vivere, omnes proprium respective munus implere nullumque – Deo dante – adesse publicum peccatorem. Obtulit etiam libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum nec non status animarum. Cognovit raro celebrari congregationes neque earum registrum servari. Reverendus dominus Hieronymus Paduani, sacerdos cappellanus curatus annorum 46, cum mandato ad curam animarum, ad annum confirmato die 17 aprilis 1754. Reverendus dominus Franciscus Antonius Rossini, cappellanus [27] altaris sanctissimi Sacramenti, cum bullis diei 13 maii 1720, aetatis annorum 57 circiter. Reverendus dominus Ciprianus Gualleri annorum 62 circiter, sacerdos. Reverendus dominus Vincentius Baglioni, sacerdos annorum 54 circiter. Reverendus dominus Philippus Visi, sacerdos annorum 52 circiter, cum mandato ad curam animarum, ad annum confirmato die 21 augusti 1753, cappellanus altaris sanctae Luciae, cum bullis huius curiae diei 25 ianuarii 1752. Reverendus dominus Ignatius Gualleri, sacerdos annorum 33 circiter, cum mandato ad curam animarum, ad annum confirmato die 12 martii 1754. Et, cum non comparuisset praesbyter Aloysius Zanichelli, diaecesis Mantuae, in hoc loco Ostiliae et in hac paroecia commorans – ut constat ex policea praesentata ut ante a domino archipraesbytero – mandavit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus mihi, visitationis cancellario, ut alta voce illum vocarem ut se se praesentaret coram sua illustrissima et reverendissima dominatione; quo vocato neque comparente, mandavit idem illustrissimus et reverendissimus praesul ut introduceretur dominus archipraesbyter, quem interrogavit cuius diaecesis esset praesbyter Aloysius Zanichelli et a quo tempore ipse in hac parochia degat et qua facultate missas celebrat; qui respondit illum esse mantuanum, multo ab hinc tempore in sua parochia degere, sed absque facultate quae sibi confirmata [27] fuerit; solere, tum in ecclesiis Ostiliae saecularibus tum in aliis regularibus, missas celebrare. Quo intellecto habitisque super eiusdem praesbyteri vita et moribus fidedignis informationibus, quibus etiam cognovit, data opera occasione visitationis, recessisse ab hisce partibus suae diaecesis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit, stantibus relationibus et ut supra informationibus habitis in praesenti sua pastorali visitatione, interdicendum esse, prout interdixit, eundem praesbyterum Alysium Zanichelli a celebratione sacrosancti sacrificii in hac parochia et in omnibus ecclesiis, tam saecularibus quam regularibus nec non in omnibus oratoriis, tam publicis quam privatis, huius suae veronensis diaecesis, sub pena, in casu trasgressionis, suspensionis a divinis ipso facto incurrenda et cum resservatione procedendi criminaliter contra ipsum et coercendi eius contumaciam aliis poenis suo arbitrio resservatis, cum invocatione etiam brachii fortis et, ad hoc ut innotescat decretum istud, omnibus ad quos spectat mandavit illico eiusdem copiam dari admodum reverendo domino vicario foraneo, qui teneatur illud notificare omnibus et singulis rectoribus oratoriorum custodibus [28] nec non superioribus regularium aliisque parochis suae vicariae finitimis et alteram copiam affigi in sacristia huiusmet parochialis ecclesiae, ad hoc et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Reverendus dominus Hernestus Zanichelli, vocatus, relatum fuit adhuc esse infirmum, quare illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus confirmavit decretum suum emanatum in visitatione oratorii Sanctae Crucis nuper a se peracta. Reverendus dominus Antonius Steffani, sacerdos annorum 40 circiter. Clericus Bartholomaeus Gelmi, diaconus annorum 23 circiter. Clericus Dominicus Orlandi filius Francisci,

lector annorum 19 circiter. Vocatis autem omnibus coram se, illos paternis verbis hortatus est ut quisque verbo et exemplo populo prosit, frequens sit ad pium opus doctrinae christianae, numquam choreis intersit, congregationes casuum conscientiae frequentiores fiant aliaque observentur quae ad cuiusque ministerium spectant. Coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo comparuit dominus Laurentius Gelmi quondam domini Leopoldi, nepos et haeres quondam domini Antonii Gelmi et exhibuit instrumentum rogatum in actis domini Francisci Crivellenti, notarii mantuani, diei 14 aprilis 1730, quo praefatus dominus Antonius Gelmi assignavit campos in eo descriptos, [28^v] redditus – ut extimati fuerunt – scutorum centum septuaginta quatuor monetae mantuanae pro erectione unius benefitii ecclesiastici in altare sanctae Crucis huius plebis, cum obligatione missae quotidianae, excepta una tantum die, in qualibet hebdomada exposuitque huiusmodi obligationem non impleri a beneficiario, qui est reverendus dominus Camillus Vecchi nec per eius substitutum; propterea instetit ut, auctoritate sua ordinaria, dignetur juris remediis illum compellere ut eidem obligationi satisfaciat, celebrando vel celebrari faciendo missam quotidianam in eodem altari, juxta piam institutionem praefati sui patris, cum nullus praetextus omissioni praedictae suffragari possit, ex eo quod fortasse praetendat beneficiarius quod campi assignati non reddant valorem quo eximati fuerunt; nam cappellani negligentia, si minus reddant, id contingere potest, se se offerens in omnibus casibus supeditare redditum ipsum quo extimati fuerunt, quando iidem campi sibi conducendi concedantur et ita et cetera. Successive, vocatus, comparuit reverendus dominus Hieronymus Paduani, sacerdos et cappellanus substitutus a praesbytero Camillo [29^v] Vecchi, beneficiario suprascripto, qui interrogatus quomodo ab ipso adimpleatur onus missae quotidianae adnexum eidem beneficio et respondit: “Io ricevo la limosina delle messe che mi sono concesse di celebrare dal sudetto reverendo Vecchi, a ragione di venti cinque marchetti l’una e nell’anno passato io ho celebrato messe 295, come costa dal libro della sacristia, che io ho scritto di propria mia mano”. Interrogatus cur missa quotidiana non celebratur juxta institutionem huius benefitii, respondit: “Vi sono state delle contribuzioni le quali continuano ed ancora un anno fu alcuno de campi di questo beneficio innondato dall’aqua, onde potrebbe essere che il signor don Camillo Vecchi, avuto riguardo alle contribuzioni sudette e a danni accaduti, credesse di non esser tenuto di far celebrare se non quelle messe che possono essere celebrate con le rendite che restano”. Interrogatus an, solutis contributionibus et habito respectu ad damna praedicta, sciat id omne quod remanet impendi in faciendis celebrari missis, respondit: “Qualche avanzo so che vi è stato alcuna volta e so che il signor don Camillo se lo ha trattenuto”. Interrogatus an quotannis circum circiter idem numerus missarum quae celebratae fuerunt [29^v] anno praeterito ab ipso celebrentur, respondit: “Presso poco ogni anno si celebrano le messe al sudetto numero, poco più poco meno, perché le contribuzioni sono continue et ascenderanno a lire 400 e più di questa moneta all’anno. Quibus habitis et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, visa et intellecta instantia domini Laurentii Gelmi eiusque tenore considerato, visis responsis datis interrogationibus quae facta fuerunt reverendo Hieronymo Paduano substituto nec non visa et considerata assignatione bonorum facta a quondam domino Antonio Gelmi, cum obligatione ut in ea cumque coram sua illustrissima et reverendissima dominatione praesbyter Camillus Vecchi, ex suo ordine vocatus, non comparuerit et absens sit – ut fuit assertum – neque bullas ostenderit vel ostendi fecerit sui benefitii, decrevit monendum fore et esse ut, termino duorum mensium, doceat de possessione huius benefitii et quare non satisfaciat integre suae praedictae obligationi non celebrando, seu celebrari faciendo, missam quotidianam juxta formam erectionis huius benefitii mandavitque admodum reverendo domino archipraesbytero vicario foraneo ut, sua auctoritate, illum [30^v] moneat ad docendum ut supra; aliter, expirato eo termino, quod incipiet a die habitae monitionis, procedetur contra ipsum prout de jure ei juris remediis compelletur ad satisfaciendum suae obligationi, praecipiens ut idem admodum reverendus vicarius foraneus referat huic curiae monitionem hanc a se factam fuisse, cum omnibus quae eidem referenda erunt et ita et cetera, omni et cetera. Hisce omnibus actis factisque infrascriptis ordinationibus, sibi resservavit concludere huius plebis visitationem peractis visitationibus ecclesiarum Sancti Laurentii Ostiliae et Sancti Blasii Corriggiolorum. Ordinata. Erigatur in apice ciborii fontis baptismalis figura sancti Ioannis Baptistae – ammoveatur crates pro audiendis confessionibus a cancellis circumexistibus fontem baptismalem – clatra baptisterii attolantur et clavi tuta claudantur – umbella et thronus pro divino Sacramento qui ornati sunt colore

rubro ornamentur tela serica albi coloris – in apice tabernaculi tempore paschali erigatur imago sculpta Domini nostri Iesu Christi resurgentis – confessionalia sita juxta suggestum muniantur imagine devota a parte poenitentium - [30^v] cum nondum exequuta fuerit ordinatio visitationis 1712 de providendo altare sancti Caroli de portatili ad mensuram canonicam, propterea suspendit altare ipsum donec provideatur de eodem portatili – sera et clavi tuta claudatur custodia sacrarum reliquiarum, quae sunt in altari ipso sancti Caroli et clavis servetur semper et custodiatur a domino archipraesbytero – provideatur quamprimum hoc idem altare sancti Caroli de tela qua icon cooperiatur tempore Passionis et de stragula qua tegatur mensa post sacrificia celebrata – altare Conceptionis beatae Virginis Mariae provideatur de portatili ad mensuram canonicam, de tabellis, pulvinaribus, stragula et tela quibus deficit altare ipsum et interim sit suspensum, prout illud suspensum declaravit donec ad quos, seu quem, spectat exequantur omnes ordinationes visitationis 1712 et icon huiusmodi altaris sarciatur decenti forma et, quatenus ii ad quos spectat non impleverint executionem prioris ordinationis, sibi resservavit procedere contra ipsos prout de jure, etiam cum suppressione eorum juris patronatus – provideatur altare sanctarum Catharinae et Ceciliae virginum et martyrum [31] de tela cerata, de pulvinaribus novis decentibus et juxta ritus sacros et de stragula pro cooperianda mensa altaris – deprimatur paulisper portatile eiusdem altaris sanctae Catharinae, ita ut super emineat tantum mensa quantum cognosci possit ubi sit eiusque rimulae obturentur – icon ipsius altaris sarciatur – altare sanctissimi Crucifixi sit suspensum donec provideatur de portatili ad mensuram canonicam, prout alias ordinatum fuit nec non de pulvinaribus decentibus, de stragula qua cooperiatur et de tela cerata qua portatile contegatur – suspensum sit altare sanctae Mariae Liberatricis donec de novo portatile mensurae canonicae provideatur nec non de stragula pro cooperianda mensa – ante imaginem beatae Virginis Mariae in hoc ipso altare sanctae Mariae quamprimum ponatur tela sericea vel subsericea alba qua cooperiatur, praecipue tempore Passionis – portatile ipsius altaris sanctae Mariae tegatur tela cerata – altare sanctae Luciae provideatur de stragula et de [31^v] pulvinaribus – provideatur altare sancti Ioannis evangelistae de tela cerata pro cooperiando portatili, de tobaleis inferioribus integris et decentioribus, de pulvinariis juxta ritus sacros, de tabellis, de stragula pro mensa altaris et de tela pro cooperiando icone tempore Passionis – altare sancti Hieronymi sit suspensum donec provisum sit de portatili ad mensuram canonicam juxta alias ordinata – idem altare sancti Hieronymi provideatur de tela cerata pro portatili, de stragula pro mensa et de tela pro icone tempore Passionis cooperiando – termino dierum quindecim provideatur altare sanctae Rosae de portatili ad mensuram canonicam et in eodem aptetur, aliter ipso facto sit suspensum – super omnibus altaribus quae fornice non sunt tecta ponatur umbella, qua altare et sacerdos celebrans contegantur – congregationes frequentius fiant et habeatur liber in quo acta congregationum describantur a cancellario huius vicariae, exprimendo in eo casus decisiones, frequentiam interessentium, cum eorum nominibus aliaque juxta constitutiones.

[32] [A margine: OSTILIA SAN LORENZO] Die eadem 4 maii 1754. Statuta hac die pro visitatione parochialis ecclesiae Sancti Laurentii Ostiliae praedictae omnibusque in ea dispositis, ad eandem illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus perexit. Ad ipsius parochiae confinia, sub baldachino – a sex loci principalioribus gestato – fuit receptus oblatamque sibi crucem a reverendo rectore pluviali induto, super pulvinaribus stratis adoratus et deosculatus est et, praeuentibus scholis et clero ipsius parochiae, processionaliter ad eandem ecclesiam adivit, in cuius limine stans, aspergillo ab eodem reverendissimo rectore accepto, se signavit aqua benedicta et frequentem populum aspersit atque thurificationis honorem recepit. Ante altare maius, sanctissimum Eucharistiae sacramentum adoravit; decantatis interea decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam impertitus est. Sacris subinde violacei coloris vestibus sumptis, in throno sibi decenter parato eidemque assistentibus diacono et subdiacono, exequias pro defunctis tam in ecclesia quam in coemeterio eidem contiguo – quod etiam visitavit – persolvit. Dimissis violaceis albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in altari majori, [32^v] quod custoditur sub clavi argentea in eius tabernaculo ligneo inaurato et in pixide argentea intus inaurata rite instructa, quod renovari asseruit reverendus rector singula hebdomada. Vidit aliam pixidem minorem, quae est in cupa argentea cum pede cupreo inaurato, amygdalam etiam argenteam pro sanctissimo Viatico ad infirmos longinquos deferendo nec non ostensorium argenteum radiatum, afabre et

ornate constructum, quod est de ratione societatis eiusdem Sacramenti. Reverendus rector schedas solet distribuere comunicatis in Paschate et illas colligere. Sub hac cura habere animas a comunione numero 975, in totum vero numero 1501 nullumque – Deo dante – adesse qui praecepto ecclesiae non obedierit. Item, Sacramentum infirmis decenter associari et associantibus concessas indulgentias publicari, pro cuius decenti associatione extant necessariae suppellectiles, quas rite instructas cognovit. Reverendus rector, juxta mandata, obtulit policeas, in fine huius libri ad litteram B repositas. Posthaec eodem Sacramento populo benedixit. Reposito divino Sacramento, sacerdotalibus indutus sacris indumentis, sacrosanctum missae sacrificium celebravit; quo absoluto supra centum [33] utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit et supra tercentum sacro chrismatis oleo in fronte perunxit. Quibus peractis, defatigatus ad edes saepedictas reversus est. Die antedicta 4 maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus praesul antedictus ad praedictam ecclesiam se contulit adoratoque divino Sacramento, suae pastoralis visitationi incumbens, visitavit baptisterium, prope majorem ianuam ecclesiae, circumseptum ita ut additus nullus ad illud pateat, ad quod tamen per ostium ingreditur, quod rastro ligneo clauditur sera et clavi munito. Vidit ipsum fontem baptismalem eiusque ciborium, super quod reposita est imago sancti Ioannis Baptistae, prout ordinatum fuit in visitatione anni 1712; observavit instrumenta quae ad hunc fontem pertinent, rite instructa viditque etiam vascula argentea oleorum chrismatis et cathecumenorum rite facta et custodita nihilque ordinandum duxit. Visitavit olea sancta, quae custodiuntur caute et decenter in eorum custodia a parte evangelii altaris majoris viditque vascula majora stamnea, in quibus recipiuntur ab hac cathedrali, quae cocleae forma habent operculum; vidit etiam vasculum argenteum pro oleo infirmorum, [33^v] rite factum nec non vascula oleorum pro baptisate, descripta in visitatione fontis baptismalis. Visitavit duas sacras reliquias sancti Laurentii levitae et martyris, positas in eodem ostensorio et in duabus thecis, quarum altera ex sacris ossibus eiusdem sancti, in theca argentea dupplici crystallo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini Eusebii de Cianis, episcopi Massae, diei 17 novembris 1747, in hac curia recognita et ipsius curiae sigillo munita sub die 17 iulii 1748, ut ex documento viso et restituto; altera itidem ex sacris ossibus ipsius sancti Laurentii, cum litteris et sigillo illustrissimi et reverendissimi domini domini Antonii ex comitibus Guidis a Balneo, episcopi mantuani, in hac curia recognita die 22 iulii 1748. Sacras etiam reliquias sanctorum Christi martyrum Marcelli, Angeli, Costantis, Leonis et Innocentiae, quae in visitatione anni 1712 recognitae fuerunt, vidit et visitavit easque in sua veneratione remanendas esse decrevit. Custodiuntur haec sacrae reliquiae in duobus reliquiariis ligneis auratis, crystallo cooperti et in loculo in cornu epistolae altaris majoris. Visitavit etiam alias sacras reliquias in altari sancti Ioseph et in duobus reliquiariis positas, quae reliquiaria sunt lignea inaurata, cum [34] crystallo anteriori in parte ac quinque sigillis unumquodque munitum, scilicet sigillis illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci Trevisani, veronensis episcopi et in uno ex his reliquiariis extant reliquiae ex crure sancti Columbi martyris, ex brachio sanctae Christianae martyris et ex brachio sancti Pii martyris; in altero autem reliquiae sunt ex brachio sanctae Theodoraе, ex crure Sancti Deodati et ex crure sanctae Crescentiae easque authenticas cognovit atque adeo suo cultu venerandas. Vidit etiam in reliquiario ligneo antiquo inaurato clausas non nullas reliquias, quae etiam in visitatione anni 1712 visitatae fuerunt, absque sigillis et documentis. Visitavit subinde altare majus, cuius partes omnes sunt lignae praeter mensam ex muro constructam, super quam est portatile ad mensuram canonicam, juxta ordinationem anni 1712 in visitatione factam. In hoc altari nulla est officitura seu obligatio missarum, nisi illae pro quibus societas Sacramenti tenetur adimplere, prout infra dicitur. Hoc idem altare manutinetur a societate sanctissimi Sacramenti, ad quam ipsum spectat pro eius manutentione, eius suppellectiles et ornatus decens atque elegans est, ita ut comendanda sit pietas [34^v] confratrum ipsius societatis, quae errecta est in hoc altare prout inuitur ex visitatione anni 1654. Huius societatis confratres, qui modo sunt ad numerum octuaginta, induunt vestem rubeam. Haec societas habet suos redditus et onera, ut in pollicea exhibita et ut supra posita et reddit rationem quotannis admodum reverendo rectori huius ecclesiae jam ad id delegato nec non satisfaciunt oneribus ipsis. Ab eadem societate consulitur, eius impensis, decori sanctissimae Eucharistiae vel quoties ipsa est populo exponenda, quod fit in tota octava Corporis Christi, in quacumque prima dominica mensis et in aliis anni temporibus, prout confratrum devotio et religio suadet, vel quoties ad infirmos defertur, vel quacumque alia occasione colenda est. Vidit ac visitavit

suppellectiles in praedicta policea descriptas, quae pertinent ad cultum eiusdem sanctissimi Sacramenti, quas cognovit non modo ornate et decenter, sed etiam munifice instructas. Confratres ipsius societatis prima dominica cuiusque mensis conveniunt frequentes [35] ad suscipiendam Sacram Eucharistiam. Visitavit etiam locum ecclesiae contiguum, ubi confratres custodiunt suppellectiles ipsius societatis, eorumque vestes. Altare Conceptionis beatae Virginis Mariae, quod habet mensam marmoream et in ea portatile ad mensuram canonicam, cum icone, in quo depicta est imago beatae Virginis Mariae immaculate Conceptae, cum imaginibus sancti Aloysii Gonzagae et sancti Laurentii, in reliquis partibus ligneum, et spectat ad societatem Charitatis, nuncupatam a Misericordia, erectam in vicino oratorio, a qua hoc altare manutinetur; in eo asseritur nullam esse missarum obligationem. Caeterum ipsum altare decenter ornatum est. Altare sancti Caroli, cum mensa ex muro tabula lignea cooperta, in qua est portatile ad mensuram canonicam; in reliquis partibus est ligneum, cum icone depicto in quo rappresentatur sanctus Carolus Borromeus. Hoc altare spectat ad familias de Confortis huius loci tamquam haeredes quondam Peregrini Macchetta. Haeredes isti, prout etiam enunciatur in visitatione anni 1712, ex testamento praefati Peregrini Macchetta et stantibus capitalibus ad hoc [35^v] legatis, tenentur distribuere quot annis unum saccum panis, celebrare faciendo unum anniversarium et alias missas, et prout in citata visitatione. Cum vero ibidem videretur non satisfieri huiusmodi obligationibus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus vocavit dominum rectorem et dominos Ioannem Petrum Conforti et Dominicum Conforti, ut cognosceret an modo huic legato satisfiat et, maxime sui animi consolatione, cognovit impleri legatum ipsum; nam quarta feria majoris hebdomadae singulis annis distribuitur a praefatis dominis de Confortis saccum panis pauperibus eademque die celebratur anniversarium tot missarum quot celebrari possunt ex praestatione unius anni, quod ab ipsis traditur reverendo domino rectori, habito respectu impensarum quae occurrunt in celebrando anniversarium et demum per reverendum dominum Ciprianum Gualleri quot annis celebrari faciunt missas septuaginta in hoc eodem altari, tradendo eidem congruam eleemosynam. Altare sancti Antonii patavini, cum mensa ex muro asseribus cooperta, in qua est portatile ad mensuram canonicam; reliquas partes habet ligneas cum icone depicto, de ratione nobilis [36] familiae de Pancinis mantuanae, in quo est officiatura, ut in praefata pollicea reverendi rectoris huius ecclesiae, quam in titulum sui patrimonii habet reverendus sominus Ioseph Mattioli huius parochiae, ut ex instrumento diei 18 aprilis 1730 in archivio Ostiliae praedictae, qui tenetur celebrare et celebrat pro hac obligatione tot missas quot capit summa scutorum centum decem monetae Mantuae, quarum eleemosyna est solidorum quinquaginta diebus festivis et quadraginta diebus ferialibus monetae praedictae. In loco contiguo huic altari reponuntur aliquae suppellectiles, ad idem altare pertinentes. Hisce peractis, ad edes saepedictas se se restituit et quieti indulgit. Die dominico 5 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, in praefatam parochialem ecclesiam reversus, ante divinum Sacramentum oravit sumptisque pontificalibus indumentis, missam privatam celebravit et infra missae celebrationem infrascriptos clericos, de legitimo matrimonio natos, in aetate debita constitutos et, quod litterarum scientiam, morum honestatem aliaque de jure requisita, per diligens examen habiles et idoneos repertos, attentis etiam exercitiis spiritualibus ab unoquoque eorum peractis, ad [36^v] infrascriptos ordines, servatis alias servandis, legitime promovit, videlicet. Ad tonsuram et minores: Ioannem Franciscum Casetti, filium domini Felicis de Sancto Laurentio Ostiliae veronensis diaecesis, ad tonsuram et quatuor minores; Dominicum Gandini, filium Bernardini de Corriggiolis veronensis diaecesis, ad tonsuram et quatuor minores; Bartholomaeum Bazani quondam Ioseph de Corriggiolis veronensis diaecesis, ad tonsuram et quatuor minores; Dominicum Orlandi, filium Francisci, lectorem de Sancta Maria castris Ostiliae veronensis diaecesis, ad duos ultimos minores ordines. Missa absoluta actisque Deo gratiis, supra quingentis utriusque sexus christifidelibus paterno amore angelorum Panem praebuit et supra bis mille itidem utriusque sexus christifideles sacro chrismate in fronte linivit. Interea illustrissimus dominus vicarius generalis se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae a Succursu, alias vulgo *del Capitello*, quod ut erigeretur a domino Peregrino Machetta concessit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus Sebastianus Pisanus, veronensis episcopus, die 24 novembris 1660, aliquibus addiectis capitulis et conditionibus, inter quas haec fuit *citra tamen quodcumque jus [37] patronatus quomodocumque et qualitercumque* [a margine: Beata Vergine Maria de Soccorso o Capitello] prout ex

processu pro imagine beatae Virginis Mariae Ostiliae existente in hac curia et in actu authentico eiusdem concessionis et capitularum, exhibito ab eodem reverendo rectore Sancti Laurentii, viso et restituto. Ea occasione mandavit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ut investirentur tercentum scuta monetae mantuanae in fundis idoneis ex eleemosynis collatis, quorum fructus impenderetur in celebrari faciendo ibidem diebus sabbathi pro animabus defunctis unam missam et litanias in vespere cantando. Mandavit etiam ut eleemosinae custodirentur sub clavibus duabus, quarum una servaretur a domino vicario foraneo et altera a quatuor deputatis, eligendis ab eodem domino vicario foraneo et eleemosinae impenderentur pro cultu et ornamento altaris. Exequuta fuit concessio antedicta et investita fuerunt scuta tercentum et erecta etiam fuit in beneficium officitura superius recensita ex bullis exhibitis a reverendo domino rectore Sancti Laurentii quibus nonnulli in eo beneficio instituti fuerunt. Processu temporis, cum bellorum impetus, quae contigerunt, [37^v] devastassent huius regionis aliquas partes, hoc ipsum oratorium dirutum fuit et spoliatum, prout constat ex visitatione anni 1712, unde exinde redditus huius benefitii percipiuntur ab admodum reverendo domino rectore praedicto, qui tot missas celebrare facit in ecclesia parochiali quot celebrari possunt habito respectu eleemosynae consuetae et reddituum eiusdem benefitii, prout in antedicta eius pollicea. Hac de causa ab admodum reverendo domino vicario foraneo nec custodiuntur eleemosynae, neque electi hucusque fuerunt deputati, cum oratorium istud adhuc aptum non sit ut in eo sacrificium offeratur. Visitans itaque hoc oratorium, vidit ipsum quasi a fundamentis erectum impensis excellentissimi artium et medicinae doctoris domini Vincentii Steffani, qui devotione motus erga Deiparam Virginem hoc pium opus incepit et hucusque prosequutus est. Observavit ipsum oratorium decenter restitutum quo spectat ad fornitem, pavementum et parietes; vidit etiam altare paratum marmoreum, in cuius partibus omnibus sculpturae apparent representantes historias sacras et angelos in actu adorationis, quod collocatum in hoc oratorio fuit a praedicto excellenti domino [38] Vincentio Steffani. Visitavit etiam locum pro sacristia, qui habet duas ianuas per quas patet additus in contiguas aedes privatas; aliquae sunt suppellectiles pro eodem altari paratas ab ipso excellenti Steffani; desunt tamen suppellectiles pro sacristia, deest portatile ad mensuram canonicam, mappae, et caetera quae tum ad ornamentum eiusdem altaris, tum ad sacrum faciendum sunt necessaria. Vidit etiam orchestram supra portam ipsius oratorii, ad quam ingreditur ex praedictis aedibus privatis. Ordinata. Duae ostia, per quae additus patet in aedes privatas e loco sacristiae muro claudantur – item muro claudatur ostium per quod ab orchestra easdem aedes ingreditur, ita ut nullus additus apertus sit ad ipsas aedes privatas – in sacristia collocetur armarium, in quo sint sacrae suppellectiles et vasa sacra, scabellum et tabula praeparationis, labrum cum manutergio pro abstergendis manibus celebrantium, crux magna – item apparamenta cuiuscumque coloris, albae, amicti, cinguli, superpelliceum, biretum, corporalia, purificatoria, calix cum patena, missalia pro [38^v] vivis et defunctis, vestis talaris, aspersionum, labellum pro aqua lustrali atque omnia et singula quae necessaria sunt pro vestimento sacerdotali ad usum sacrificii – in altari autem parentur candelabra et vasa cum flosculis, crux cum crucifixo, mappae, tela cerata, stragula qua cooperiatur, pulvinaria, lampas et praesertim portatile ad mensuram canonicam, quod est aptandum in eodem altari, ita ut parum superemineat mensae – labellum pro aqua lustrali ponatur ad januam oratorii – fenestrae habeant speras vitreas et ulterius retia ferrea – super culmen ipsius oratorii sit crux ferrea et in aliqua summitate muri eiusdem oratorii erigatur campanile, cum campana nihilque deficiat ad religiosum cultum ipsiusmet oratorii, ita ut, hisce exequutis, impetrari possit ab hac curia facultas illud benedicendi et in eo sacrificium offerendi. Quibus habitis et cetera. Visitavit publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae a Misericordia, de ratione societatis Charitatis seu a Misericordia. Haec societas, canonicè erecta, est aggregata archiconfraternitati Charitatis de [39] Urbe, [a margine: Beata Vergine Maria della Misericordia] ut ex diplomate – a confratribus exhibito et ibidem viso et restituto – diei 20 iulii 1607, exequuto in hac curia die 24 martii 1640. Confratres huius societatis sunt ad numerum 40 circiter et induunt saccum albi coloris. Conveniunt in hoc ipso oratorio diebus festis et in choro eiusdem recitant laudes beatae Mariae Virginis habetque suos redditus et obligationes, ut in pollicea exhibita a domino Antonio Paduani, in fine huius ut ante posita, in qua describuntur etiam suppellectiles et utensilia pro ornamento huius oratorii et altarium et pro celebrando sacrosancto missae sacrificio. Tria habet altaria, quae visitavit: majus scilicet ligneum, cuius tamen mensa ex muro est constructa et in eo collocata est imago beatae Virginis Mariae,

in ligno sculpta; deest portatile ad mensuram canonicam et illud quod extat non apparet consecratum fuisse, cui reliquiae etiam deficiunt. Retro altare istud vidit et visitavit chorum, decenter constructum. Altare sanctae Veronicae ligneum, quod habet portatile rite instructum et iconem depictum. Altare sancti Ioannis Baptistae, in quo sanctus praecursor representatur baptizans Christum Dominum et imagines [89^v] sunt sculptae ex ligno, prout ligneum est hoc altare in omnibus suis partibus, excepta mensa quae est ex muro. Visitavit sacristiam et in ea sacras suppellectiles et vasa sacra, quae satis instructa et parata observavit, licet non admodum sontuosa. Vidit etiam sanctam reliquiam sancti Ioannis Baptistae praecursoris, in theca ex auricalco dealbato, litteris et sigillo illustrissimi domini abbatis Francisci Cotogni, vicarii generalis Bononiae, diei 24 septembris 1751 munitam, in hac curia recognitam die 3 novembris 1751, quam iterum approbavit et deveneratus est. Vidit denique ostensorium pro exponenda eadem sacra reliquia, ex ramo argento et auro linito, eleganter factum. Ordinata. Altare majus sit suspensum donec provideatur de portatile ad mensuram canonicam, super quod ponatur tela cerata – portatilia altarium sanctae Veronicae et sancti Ioannis Baptistae propius pectus celebrantis accedant, ita ut Hostia semper super illa collocari possit – amoveantur ab altare sancti Ioannis Baptistae duo gradus [40] a candelabris et unus tantum ponatur, ne occupetur mensa a gradibus eiusdem et impediatur actio sacrificii – provideatur sacristia de superpelliceo, de scatula pro hostiis, de alia pro purificatoriis et in ea erigatur labellum et iuxta ipsum ponatur manutergium pro abluendis et abstergendis celebrantium manibus. Quibus habitis, ad ecclesiam parochialem Sancti Laurentii antedicta reversus, visitavit altare sancti Ioseph, de ratione societatis sanctissimi Sacramenti, a qua manuteneretur. Hoc altare habet mensam ex muro et reliquas partes ligneas, portatile et iconem depictum, representantem Sacram Familiam, scilicet Iesum, Iosephum et Mariam. In hoc altare est beneficium simplex valoris scutorum triginta monetae Mantuae, ex legato quondam Ioannis Baptistae Voltolini, in eius testamento rogato in actis Pigozzi die 16 maii 1608 et ut in visitatione anni 1712, quod possidetur a reverendo domino Bernardino Sandri, cum bullis huius curiae diei 23 iulii 1747, tamquam electo et praesentato a reverendo rectore huius ecclesiae, ad quem spectat jus patronatus eligendi et praesentandi cappellanum ipsum, ex conventionem cum instrumento diei [40^v] 13 martii 1684, in actis Francisci Cavaletti notarii. Celebrantur a dicto reverendo beneficiario missae septuaginta quinque. Altare sancti Rocchi, marmoreum in mensa cum portatili et icone depicto, in reliquis partibus ex muro constructum, de ratione societatis sub eodem titulo sancti Rocchi, alias recognitae ut in visitatione anni 1654, cuius confratres modo sunt quadraginta circiter et induunt saccum viridi coloris. Societas ipas aggregata est archiconfraternitati almae Urbis, ut ex diplomate diei 21 februarii 1607, in hac curia viso die 8 novembris eiusdem anni. Habet haec societas suos redditus et onera, quibus satisfit et describuntur in pollicea ut ante exhibita et quotannis reddit rationem – prout aliae societates – admodum reverendo rectori huius ecclesiae. Adnexa est huic altari officiatura instituta a quondam Nicolao Perdomi, in eius testamento 18 februarii 1681 in actis Casetti, cuius cappellanus eligi debet ex familia vel descendentibus a dicto Perdomi, cum uno voto ab eadem familia et altero ab admodum reverendo huius ecclesiae rectore. Officiatura haec habet duodecim agros obnoxios pro tertia parte ducali camerae Mantuae et redditus impendit pro celebrandis missis diebus [41] festis, quos percipit ex dictis agris ipse cappellanus; modo possidet hanc officiaturam reverendus dominus Federicus Rocca, descendens a praefato testatore. Altare beatae Virginis a Consolatione seu a Cinctura, quod habet mensam ex muro cum portatili; in reliquis partibus est ligneum, cum imagine eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, de ratione societatis sub eodem titulo, canonicè erecta, ut constat ex visitatione anni 1654 habetque suos redditus et onera ut in pollicea exhibita, in qua etiam describuntur suppellectiles ad hoc altare et ipsam societatem pertinentes et satisfit oneribus praedictis; rationes autem quot annis huius ecclesiae reverendo rectori redduntur. In hoc altari est officiatura instituta a quondam Ioanne Baptista Bissoli, in suo testamento 7 aprilis 1648 in actis Basaglia, cuius haeredes tenentur solvere scuta quinquaginta societati sanctissimi Sacramenti, juxta dispositionem praedictam, a qua fiunt celebrare in hoc altare tot missas quot cum eleemosyna consueta celebrari possunt; cui missarum oneri satisfacit reverendus dominus Scipio Dari, cappellanus ab eadem societate sanctissimi Sacramenti electus; nunc vero solvit haeres quondam Ioannis Baptistae Boneti, successoris [41^v] suprascripti Bissoli. Quibus omnibus peractis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, multum defatigatus, ad mansionem suam reversus, prandium sumpsit. [A margine: Santo

Sebastiano] Die antedicta 5 maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, sua quadriga vectus se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Sebastiani, infra limites parochialis Sancti Laurentii Ostiliae, de jure patronatus serenissimi ducatus Mantuae, in quo unicum est altare, cum mensa marmorea et antipectile ex serico, corona lignea circumdato et cum icone ab excellenti pictore depicto, rappresentante sanctum Sebastianum, sanctum Rocchum et beatam Virginem Mariam cum Puero Iesu. In hoc oratorio est benefitium simplex, de jure patronatus eiusdem serenissimi ducalis domini Mantuae, quod nunc possidetur ab admodum reverendo domino Michaelae Angelo Pomelli, canonico ecclesiae collegiatae Sancti Andreae Mantuae, cum litteris huius curiae diei 9 iunii 1724, cuius benefitii redditus est librarum tercentum viginti monetae Mantuae, ex decem agris quae sunt subiecta pro tertia parte camerae ducali, quod benefitium nullam habet missarum obligationem. [42] Hoc oratorium manutinetur ab eadem camara ducali, exceptis suppellectilibus pro celebratione missae et pro ornamento altaris, quae manutinentur ab antedicto beneficiario. Hoc idem oratorium visitantibus concessa est indulgentia plenaria in tertia sexta feria mensis martii, ut ex brevi apostolico ad septemnum dato die 26 ianuarii 1753, in hac curia viso die 12 februarii eiusdem anni. Retro altare vidit apparamenta descripta in policea ut ante posita, quae servantur domi domini Felicis Micheli, cum non adsit sacristia pro iis custodiendis et cum perraro in hoc oratorio celebretur, prout etiam observatum fuit in visitatione anni 1712. Vidit denique campanile, in quo unica est campanila. Ordinata. Termino duorum mensium provideatur altare de novo portatili ad mensuram canonicam, ut fuit ordinatum in visitatione anni 1712; aliter, eo termino elapso, illud suspendit, prout nunc pro tunc ipsum suspensum declaravit – hortatus est ut ornatus altare hoc habeatur ab eo ad quem spectat - [42] retia ferrea ponantur fenestris, ne pateat additus volucris in ecclesia. Quibus peractis et facto jam sero, ad suas aedes reversus quieti indulsit et obdormivit. [A margine: Beata Vergine Maria della Comuna] Die lunae 6 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, facto mane, pastorem suam visitationem prosequutus, se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae a Communa nuncupatum seu *del Casone*, infra limites parochialis ecclesiae Sancti Laurentii Ostiliae praedictae, ex sententia illustrissimi et reverendissimi domini domini Marci Gradonico veronensis episcopi, qua pronunciatum fuit nullum jus nullamque actionem competere admodum reverendo archipraesbytero Sanctae Mariae in quibuscumque functionibus parochialibus in oratorio nuncupato *della Commune*, sito intra limites Sancti Laurentii et omne jus spectare reverendo rectori Sancti Laurentii Ostiliae et, cum appellatum fuisset ad auditorem reverendae camerae apostolicae sub die 13 novembris 1715, parte et nomine praefati domini archipraesbyteri, postmodum sub die 2 aprilis 1718 idem dominus archipraesbyter se removit ab interposita appellatione, ut constat ex authenticis documentis ibidem ab admodum reverendo rectore Sancti Laurentii exhibitis, visis [43] et restitutis. Hoc oratorium erectum fuit auctoritate Ioannis Mathaei Giberti veronensis episcopi: supplicationibus universitatis Ostiliae annuendo, ipse concessit eiusdem simplicis ecclesiae oblationum et bonorum ipsius gubernium eidem communitati, hac tamen conditione ut, quoties haec universitas requisita fuerit, teneatur reddere rationes et computa episcopis veronensibus pro tempore existentibus vel eorum vicariis; alioquin decrevit nullius esse roboris vel momenti concessionem praedictam et prout constat ex actu diei 6 maii 1533 in volumine inscripto “Jura diversarum Ecclesiarum huius Cancellariae Episcopalis”, ibidem in copia authentica exhibito, viso et restituto et in visitatione Aloysii Lipomani veronensis episcopi diei primae maii 1553 facta eiusdem ecclesiae, itidem ut supra exhibita, visa et restituta. Ingressus hoc oratorium, sacris suppellectilibus indutus, sacrificium Deo obtulit; quo absoluto actisque Deo gratiis, biscentum circiter utriusque sexus christifideles sacro chrismatis oleo in fronte perunxit. Visitavit deinde altare majus eiusdem simplicis [43] ecclesiae, quod est in cappella quae clauditur clatris ferreis eleganter elaboratis, cuius altaris mensa est marmorea cum portatili, quod vidit hucusque positum, quamvis non sit mensurae canonicae prout ordinatum fuit in visitatione anni 1712. Super hoc altare est imago beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu, ex ligno sculpta, ad quam venerandam a remotis temporibus ad haec usque frequentissimus populus accurrit et clauditur ipsa chrysallo; satis decenter in reliquis altare hoc instructum est. Vidit et visitavit altare in alia cappella eiusdem ecclesiae situm, sub titulo sanctae Barbarae, cum mensa in muro, in reliquis partibus ligneum et cum icone depicto, in quo rappresentatur eadem sancta Barbara et sanctus

Hieronymus, in quorum medio beata Virgo Maria viditque non exequutam fuisse ordinationem de novo portatili ponendo, in visitatione anni 1712 factam. Vidit in hoc altare custodiam, in qua custoditur sanctissimum Sacramentum, cum consensu admodum reverendi rectoris Sancti Laurentii, in aliquibus solemnitatibus quae in hac ecclesia celebrari solent; quam visitavit post peractam distributionem sacratissimae Eucharistiae aliquibus christifidelibus [44] viditque etiam pixidem in cupa argenteam, in reliquis partibus cupream inauratam, quae tamen neque operculo bene clauditur neque in pede tuta est. Visitavit tria confessionalia, in hac ecclesia cum assensu reverendi rectoris Sancti Laurentii posita, pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Vidit totam ecclesiam, optima forma constructam et decenter servatam, quae manutinetur ex redditibus, ut in policea in fine huius libri, una cum aliis, reposita et ex eleemosynis, prout eodem modo manutinentur altaria. Vidit duas capsulas, in quibus colliguntur eleemosynae, videlicet: in illa a parte evangelii pro missis celebrandis, in altera vero a parte epistolae altaris beatae Virginis Mariae pro manutentione huiusmodi oratorii. Visitavit sacristiam et in ea suppellectiles et vasa sacra, quae descriptae sunt in policea ut supra posita. Edes contiguas pro custode huius ecclesiae visitavit, qui custos biduo ante hanc visitationem electus fuit ab iis ad quos spectat et est reverendus dominus Franciscus Gangini et accipit stipem scutorum octuaginta quatuor monetae mantuanae, ex [44^v] redditibus affectis huic oratorio, absque onere applicationis missarum; tenetur tamen residere juxta hoc oratorium et celebrare omnibus diebus festis et singulis sextis feriis in eodem oratorio, absque onere applicandi, prout dictum fuit. Vidit campanile in quo sitae sunt tres campanae. Oblatus fuit etiam liber exactionis reddituum descriptorum in policea ut ante reposita et admodum reverendus dominus archipraesbyter vicarius foraneus, qui deputatus fuit ad rationes cognoscendas administrationis, ibi praesens, fuit interrogatus utrum ipse cognoscat rationes ipsas. Et respondit intervenire convocationibus cum electis ab hac spectabili communitate, cognoscere rationes easque singulis annis subscribere omniaque administrari rite recteque et juxta formam in erectione constitutam. Quapropter illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus confirmavit deputationem praedictam in personam praedicti admodum reverendi domini archipraesbyteri et vicarii foranei. Ordinata. Duorum mensium spacio exequatur ordinatio visitationis anni 1712 de providendo altare majori huius oratorii et altare Sanctae Barbarae de portatilibus ad mensuram canonicam, [45] aliter, eo termino elapso et non parito, altaria ipsa sunt suspensa, prout ipsa nunc pro tunc suspensa declaravit – pixis nova rite instructa statim provideatur et haec pixis quae existit in custodia, consumato Sacramento, sit illico suspensa – custodia vestiatur intus panno serico albo et sarciatur in iis partibus quae sarciendae sunt – confessionalibus ponatur pagella casuum resservatorum a parte sacerdotum et imagines devotae aptentur a parte poenitentium – confessionale a parte epistolae altaris majoris sit suspensum donec provideatur de cratibus cum foraminibus minutioribus. Hisce absolutis, ad aedes suae mansionis reversus prandium sumpsit. [A margine: Santa Cattarina in Mazzagatta] Die anredicta 6 maii 1754 post prandium. Illustrissimus dominus vicarius generalis se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sanctae Catharinae martyris, alias Beatae Virginis Mariae in Paludibus, in contracta *della Mazzagatta*, infra limites parochialis ecclesiae Sancti Laurentii Ostiliae, de ratione nobilium virorum Bertuccii et Leonardi Valieri, Patritiorum venetorum. Quo perventus, unicum in eo vidit altare sub titulo sanctae Catharinae martyris, [45^v] cuius mensa est ex muro, cum portatili ad mensuram canonicam juxta ordinationem visitationis anni 1712, quae exequuta etiam fuit quoad labellum pro aqua benedicta. Conductores bonorum nobilium dominorum patronorum celebrare faciunt in eo missam diebus festis et aliis ex eorum devotione. Vidit locum pro sacristia, ubi sacerdotes apparantur. Visitavit etiam apparamenta descripta in policea, exhibita et ut ante reposita. Adest campanula supra tectum ecclesiae, cum unica campanula. Quibus peractis, ad aedes antedictas reversus est. Die martis 7 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad antedictam ecclesiam Sancti Laurentii se contulit et, ante divinum Sacramentum stratus, oravit et subinde, sacerdotalibus indutus vestibus, sacrum fecit eoque absoluto, sacratissimum Eucharistiae sacramentum centum quinquaginta circiter utriusque sexus christifidelibus propriis manibus praebuit. Reposito divino Sacramento, biscentum itidem utriusque sexus christifidelibus confirmationis sacramentum paterna charitate ministravit. [46] Posthaec ad aedes suae mansionis restitutus prandium sumpsit. [A margine: Oratorio privato Sordi]. Die antedicta 7 maii

1754 post prandium. Illustrissimus dominus vicarius generalis se contulit ad edes nobilis domini marchionis Benedicti Sordi, sitas intra fines pareciae praedictae Sancti Laurentii et in eis visitavit oratorium privatum, auctoritate apostolica erectum. Vidit locum huius oratorii, altare, suppellectiles atque omnia quae ad sacrum sacrificium celebrandum sunt necessariae eaque rite recteque facta et ornata observavit nihilque ordinandum cognovit. Quibus habitis, ad mansionem praefatam se se restituit.

[A margine; CORRIGGIOLI] Die mercurii 8 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus praesul antedictus, convocato in ecclesia parochiali Sancti Bernardini de Corriggiolis populo, ad ipsam ecclesiam sua quadriga vectus, cum suo comitatu, visitandam se contulit. Quo perventus et receptus in domo parochiali dimissisque itinerariis episcopalibus vestibus, longioribus assumptis, in exitu eiusdem domus fuit receptus sub baldachino, a sex principalioribus loci gestato; crucem – a reverendo rectore, pluviali induto, porrectam – super pulvinaribus stratis genuflexus, [46^v] adoratus et deosculatus est, praeentibus scolis huius pareciae et clero processionis ordine servato, consuetas laudes canentibus, ecclesiam ipsam adivit; in cuius limine stans, aqua lustrali se et frequentem populum inibi adstantem, aspersione accepto ab eodem reverendo rectore, signavit et thurificationis honorem recepit. Ingressus in ecclesiam adoradoque augustissimo Sacramento et servatis ritibus a pontificali romano praescriptis, pastorem suam visitationem ipsius ecclesiae incepit, data populo benedictione et indulgentia episcopali impartita. Deinde, factis exequiis et coemeterio visitato, accessit ad visitandum sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in altari majori custoditum et in tabernaculo ligneo inaurato, quod tute clauditur sub sera et clavi, quae est argentea. Pixis in qua hoc idem Sacramentum servatur est argentea, rite instructa. Vidit amygdalam quoque argenteam, pro communicandis infirmis distantibus ab hac parochiali ecclesia. Interrogatus reverendus rector quot sint animae in hac parochia quae communicant, respondit habere in sua paroecia animas a communione 632, in totum vero 1012. Interrogatus an aliquis sit qui non communicaverit [47] in Paschate, respondit nullum defecisse parere ecclesiae praecepto. Interrogatus respondit hoc Sacramentum singulis hebdomadibus renovari; communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi; lampadem continuo ante idem Sacramentum ardere et manuteneri a societate eiusdem sanctissimi Sacramenti; cum deferendum est ad infirmos, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari. Vidit ostensorium radiatum argenteum, quo exponitur hoc idem Sacramentum singulis tertiis dominicis cuiuslibet mensis, in die et octava Corporis Domini et aliis solemnitatibus, prout etiam defertur in processibus consuetis. Obtulit reverendus rector, parendo mandatis, policeas requisitas, quas ego visitationis cancellarius recepi et in fine huius libri ad litteram C reposui. Populo eodem divino Sacramento benedixit ipsoque reposito, sacrosanctum missae sacrificium celebravit, mille circiter utriusque sexus christifideles angelorum Pane refecit et quingentos circiter itidem utriusque sexus christifideles sacro chrismatis oleo in fronte signavit. [47^v] Visitavit fontem baptismalem viditque illum adhuc divisum non fuisse, quamvis id ordinatum fuerit in visitatione anni 1712 viditque vascula oleorum cathecumenorum et chrismatis argentea, ciborium et conopeum ex tela. Olea sancta, quae custodiuntur in loculo a parte evangelii altaris majoris visitavit viditque vascula majora stamnea cum operculis cocleae forma factis, in quibus recipiuntur eadem olea sancta a parochiali ecclesia Sancti Laurentii Ostiliae. Vidit etiam vasculum olei infirmorum stamneum quoque, cum operculo eiusdem formae. Visitavit etiam duo confessionalia, in hac ecclesia posita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit subinde altare majus, sub titulo sancti Bernardini, quo titulo etiam haec parochialis ecclesia nuncupatur, quod est de ratione societatis sanctissimi Sacramenti, a qua de omnibus – prout etiam de cereis – manutinetur. Altare hoc est in eius partibus ligneum inauratum et satis decenter instructum; vidit tamen nondum exequutam fuisse ordinationem anni 1712 de novo portatili parando ad mensuram canonicam. [48] Societas sanctissimi Sacramenti canonice erecta fuit in hoc altare, ut ex diplomate aggregationis simili archiconfraternitati almae Urbis diei 7 februarii 1608, in hac curia recognito anno 1624 habetque redditus et onera ut in policea praesentata et ut ante posita, in qua descriptae etiam sunt eius suppellectiles. Confratres dictae societatis, qui induunt cappam cerulei coloris, sunt ad numerum quadraginta circiter et quotannis reggentes huius societatis reddunt rationem reverendo domino rectori huius parochialis ecclesiae, alias ad id deputato. Altare sancti Ioannis Baptistae, ex muro constructum cum icone et portatile, non tamen ad mensuram canonicam, prout ordinatum fuit in visitatione anni 1712; quod

altare inornatum et deficiens decentibus suppellectilibus vidit. In hoc altare est officinatura instituta a quondam domino Ioanne Gagiardi, qui hoc altare erexit cum suo testamento diei 28 maii 1623 in actis domini Bartholomaei Gentilisia, notarii Hostiliae et in eius codicillo 10 septembris eiusdem anni in actis domini Ioannis Baptistae Bellis notarii, quorum medio dotavit hoc altare duabus petiis terrae camporum decem, descriptis in dicto testamento [48^v] concessitque facultatem reverendis rectoribus affictandi seu livellandi, prout melius videbitur, cum onere ex redditibus ut celebrentur missae diebus dominicis et tribus ferialibus in quacumque hebdomada. Rectores – ut assertum fuit – sub contractu livelli concesserunt illas duas petias terrae quibusdam conductoribus; nunc vero illas conducit Antonius Mantuani Guarneri, huius pareciae et solvit societati sanctissimi Sacramenti quotannis libras centum triginta duas monetae mantuanae, qui redditus est subiectus contributionibus, unde reggentes societatis celebrare faciunt missas in diebus festis, cum eleemosyna triginta marcularum pro quaque, cum ultra his redditibus nihil remaneat pro aliis missis celebrandis. Quibus observatis et intellectis, mandavit et monuit ut a reggentibus, una cum domino rectore, diligentius inquiratur num contractus livelli rite recteque factus fuerit, an opus pium laesum extiterit necne et, quatenus vel iniustus contractus releveretur vel laesio, agant via juris, ad effectum ut melioretur conditio huius legati ac ut major numerus missarum celebrari possit et interim ut numerus triginta novem missarum celebretur, [49] stantibus ut stant, indulgit. Oblatus fuit videndus calix cum patena, qui habet cupam argenteam, ceterae eius partes sunt cupreae inauratae, ex quo methallo itidem est patena et spectare hunc calicem et hanc patenam ad praedictum altare sancti Ioannis Baptistae tamquam donatum a praedicto testatore, ut etiam asseruit reverendus rector huius ecclesiae; servari autem in sacristia cum aliis suppellectilibus eiusdem sacristiae huius parochialis. Altare sancti Ioseph demolitum fuit juxta licentiam ab hac curia concessam die 14 iulii 1724 et eius non remanet in hac ecclesia vestigium. Altare sancti Caroli, ex ligno constructum, cum portatili et icone depicto, in quo altare habebant olim jus patronatus haeredes quondam Georgii Tavoloti, quibus successerunt quoad electionem et praesentationem beneficii in hoc ipso altare admodum reverendi archipraesbyteri Sanctae Mariae Hostiliae et domini gubernatores sacri Montis Pietatis huius loci Hostiliae, qui Mons modo non extat, sed a bellorum devastatione distractus fuit. Beneficium in praedicto altare sancti Caroli habet suos redditus ex octo campis cum domo, ex quibus – ut asseruit rector huius beneficii – percipi possunt sexaginta ducati monetae venetae et adnexa est [49^v] obligatio missae quotidianae; possidet hoc beneficium reverendus dominus Antonius Rossi, cum bullis huius curiae diei 27 iunii 1751. Qui, interrogatus an adimpleat suam obligationem, respondit a se celebrari tantummodo diebus festis. Quod cum intellexisset atque observasset visitationem anni 1712, in qua asserebatur factam fuisse reductionem obligationis missae quotidianae ad celebrandas missas diebus festis et tribus diebus ferialibus cuiuscumque hebdomadae et in qua decretum fuit ut doceatur de hac reductione et petatur reductio quatenus concessa non fuerit, consideratis etiam redditibus qui percipiuntur, prout supra assertum fuit, monuit canonicè praefatum sacerdotem Antonium Rossi ut doceat de reductione vel, quatenus docere non potuerit, petat reductionem quatenus reductio facienda sit et interim celebret missas ad normam descriptam in visitatione anni 1712, scilicet omnibus diebus festis et tribus ferialibus cuiuslibet hebdomadae ac suppleat pro omissis juxta eandem formam, assignato termino – docendi vel respective petendi [50] reductionem – duorum mensium; aliter, hoc termino elapso et non parito, protinus quatenus non docuerit de missis celebratis pro ommissione praedicta et celebrandis juxta formam praedictae visitationis 1712, quoties requisitus fuerit, procedetur contra ipsum penis canonicis et prout de jure. Altare sancti Bernardini, ligneum cum portatili et icone depicto, quod manutinetur ex eleemosynis ac praesertim ex pietate domini Ioannis Gregorii. In hoc altare societas beatae Virginis Mariae a Rosario celebrare facit missas viginti sex, cum stipe scutorum novem, ex legato quondam Iosephi Massella, prout ex pollicea eius societatis, exhibita et ut ante posita et ut in visitatione anni 1712. Altare sancti Antonii, ligneum cum portatili et imagine eiusdem sancti ex ligno sculpta, quod manutinetur ex piorum eleemosynis. Vidit nondum exequutam fuisse ordinationem anni 1712 de providendo portatili ad mensuram canonicam et de stragulis. In hoc altare sunt obligationes missarum septuaginta duarum, quas tenetur reverendus rector huius ecclesiae celebrare facere ex redditibus quos ipse [50^v] percipit, ut in eius pollicea, quas missas ipse reverendus rector celebrat. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, ligneum cum portatili et imagine eiusdem beatae Virginis, ex ligno sculpta et misteria eiusdem Rosarii

circum depicta rappresentantur et est de ratione societatis sub eodem titulo erectae, ut describitur in visitatione anni 1712, cuius confratres plurimi sunt, sed ex his sexdecim circiter induunt cappam albam qua utuntur in processionibus, quae praesertim ex eorum societatis instituto celebrantur singulis primis dominicis cuiuscumque mensis. Societas praedicta habet redditus et onera ut in policeis praesentatis et ut supra positis, in quibus descriptae sunt etiam suppellectiles huius altaris aliaeque ad ipsam societatem spectantes redduntque rationes quotannis reverendo rectori huius ecclesiae, ut ante dictum est. Altare beatae Virginis Mariae a Misericordia, in quo est imago in ligno sculpta eiusdem sanctissimae Virginis Mariae. Altare hoc est ligneum, cum portatili restituto ad mensuram canonicam, prout ordinatum fuerat in visitatione anni 1712 estque de ratione societatis Charitatis, aggregatae [51] archiconfraternitatis de Urbe, ut ex diplomate diei 26 februarii 1608, viso in hac curia die 10 maii eiusdem anni, cuius confratres multi sunt, sed ex his sexdecim circiter induunt vestem albam. Haec societas habet suos redditus et onera ut in policea exhibita et ut ante reposita et singulis annis rationem reddit reverendo rectori huius ecclesiae, alias ad id delegato. Vidit sugestum in quo concionatur tempore Quadragesimae et Adventus; concionator autem Quadragesimae eligitur a consiliariis Corrigiolorum et comunitas Hostiliae dat stipem scutorum quatuordecim monetae mantuanae. Concionator vero Adventus eligitur a reverendo rectore huius ecclesiae, cui concionatori cedunt eleemosynae quas offerunt christifideles conciones audientes. Illustrissimus vero dominus vicarius generalis visitavit sacristiam et in ea vasa et suppellectiles sacras, descriptas in policea praesentata et ut ante reposita. Visitavit etiam campanile, in quo duae sunt campanae et unum tintinabulum. Chorum et domum parochialem totamque ecclesiam, quae non est consecrata, divo Bernardino dicata quaeque, prout domus et sacristia, manutentur [51'] a parochianis. Hoc beneficium est de jure patronatus hominum villae Corrigiolorum et locorum Naroli et Communae, a quibus praesentatus fuit admodum reverendus Blasius Rossi, qui ad praesens est rector huius ecclesiae, ut constat ex instrumento nominationis diei 3 mensis maii 1737, in actis domini Caroli Pozzi notarii, exhibiti, visi et restituti et ex bullis huius curiae, de quibus infra dicitur in personali visitatione eiusdem reverendi rectoris. Habet hoc idem beneficium suos redditus et onera ut in policea ut ante praesentata, quibus satisfacit idem reverendus rector. Congregatis interea in hac ecclesia maribus et feminis, pueris et puellis pro exercitio doctrinae christianae, eidem illustrissimus et reverendissimus praesul incubuit et per varias interrogationes, cum non modica animi sui laetitia, cognovit omnes doctrina christiana aliisque ad aeternam salutem necessariis bene instructos esse. Posthaec in aedes parochiales receptus, una cum suo illustrissimo domino vicario generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt: Mauritius Basalea, consiliarius huius loci qui, [52] interrogatus de vita, moribus et diligentia in proprio munere tam reverendi rectoris huius ecclesiae quam sacerdotum et clericorum in hac paroecia degentium et an in ipsa sint haeretici, de haeresi suspecti, adulteri, usurarii vel alii publici peccatores et respondit reverendum rectorem, societates et clericos huius pareciae diligenter proprio respective munere fungi nullumque – Deo dante – haeticum vel publicum peccatorem adesse. Reverendus dominus Blasius Rossi, rector huius parochialis ecclesiae, quam obtinuit ad praesentationem huius villae hominum et ostendit bullas suae institutionis, in hac curia datas die 23 maii 1737. Qui, interrogatus de vita, moribus et diligentia sacerdotum et clericorum huius pareciae et an in ipso adsint publici peccatores et respondit diligentes esse sacerdotes et clericos et – divina favente gratia – publicos peccatores non existere. Obtulit subinde libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum et mortuorum nec non status animarum, quos vidit et visitavit ipsosque bene instructos esse cognovit. Reverendus dominus Franciscus Gandini, cappellanus oratorii Beatae Virginis Mariae *della Communa*, annorum 68, cum mandato ad curam animarum, ad annum confirmato [52'] die 24 septembris 1743. Reverendus dominus Antonius Ghedini, sacerdos ferrariensis annorum 39, cum dimissorialibus sui eminentissimi et reverendissimi ordinarii, ad beneplacitum datis die 4 novembris 1741, cum mandato ad curam animarum, ad annum confirmato die 13 februarii 1754. Reverendus dominus Antonius Rossi, sacerdos annorum 25, cappellanus altaris sancti Caroli, cum bullis huius curiae diei 27 iulii 1751. Clericus Dominicus Gandini, in minoribus ordinibus constitutus, annorum 19 circiter. Clericus Bartholomaeus Bazani, in minoribus ordinibus constitutus, annorum 20 circiter. Comparuerunt subinde Catharina uxor Iacobi Macchetta, Lucia relicta quondam Ioannis Solera et Lucia relicta quondam Francisci Zanchini, omnes obstetrices huius pareciae, quae examinatae circa formam administrandi

sacramentum baptismi in casibus necessitatis et aptae atque idoneae repertae fuerunt. Hisce peractis, in ecclesiam praedictam Sancti Blasii Corriggiolorum reversus factisque infrascriptis ordinationibus, cum recitatione *De Profundis*, visitationem ipsius parochialis Corriggiolorum absolvit. [53] Ordinata. Intra terminum duorum mensium novus fons ex marmore rite paratus et divisus iuxta ordinationem in visitatione anni 1712 in hac ecclesia reponatur, remoto fonte non divisio; aliter, eo termino elapso et ordinatione non exequuta, fons baptismalis suspenditur suspensumque nunc pro tunc declaratur et infantes deferantur baptizandi ad ecclesiam parochialem Sancti Laurentii Ostiliae, a qua haec ecclesia recipit olea sancta – novum ac tute clausum praedicto fonti baptismali aptetur ciborium, quod cooperiatur panno serico vel sub sericeo coloris albi et haec omnia exequantur ab hac communitate, ad quam id spectat, prout assertum fuit – exequatur ordinatio visitationis 1712 de vestiendo intus custodiam oleorum sanctorum panno serico violaceo et de describendis litteris super ostiolum eiusdem custodiae, quibus exprimatur *Olea Sancta* – in altero confessionalium affigatur a parte sacerdotis pagella casuum resservatorum; in utroque autem a partibus poenitentium imagines sacrae – termino duorum mensium altare majus provideatur de portatili ad mensuram canonicam et [53^v] accedat propius pectori celebrantis; aliter, hoc termino elapso et non exequuta ordinatione, altare idem sit suspensum, prout nunc ex tunc suspensum declaravit – altare sancti Ioannis Baptistae, destitutum, absque portatili rite facto, illud suspendit et suspensum decrevit donec provisum fuerit de mappis, de tabellis, de candellabris, de cruce, de vasibus cum floribus, de pulvinaribus, de stragulis pro cooperiando altare et icone, cessando intera a celebratione missarum in eo ordinarum a quondam Ioanne Gagiardi et, adimpletis ut supra ordinatis positoque in eo portatili ad mensuram canonicam, cesset suspensio et missae ex redditibus celebrentur – exequatur ordinatio visitationis anni 1712 de elevando portatili altaris sancti Caroli, ita ut super emineat mensam – provideatur item altare sancti Caroli de pulvinaribus decentioribus – altare sancti Bernardini provideatur de stragulis et pulvinaribus, prout ordinatum fuit in visitatione anni 1712 – termino bimestris exequatur ordinatio visitationis 1712 de ponendo novo portatili ad mensuram canonicam in altare sancti Antonii; aliter, eo termino elapso et non parito, altare ipsum [54] sit suspensum, prout suspensum declaravit – provideatur idem altare sancti Antonii de stragulis pro cooperiando eodem et eius icone tempore Passionis – collocetur, termino bimestris, in altari beatae Virginis Mariae a Rosario portatile ad mensuram canonicam, prout ordinatum fuit anno 1712, aliter ipsum sit suspensum – fiat nova planeta nigri coloris, cum reliquis quae ad sacrificium spectant, praeter illam quae existit, cum occasione officiorum sit necessaria – missalibus adiungantur missae novae sanctorum, quorum festa celebranda nuper in calendariis recepta fuerunt – domus parochialis restauretur ab iis per quos spectat, decenti forma, ita ut eius conditio competat ressidentiae pastoris huius curae. Absoluta visitatione praefatae parochialis Sancti Blasii Corriggiolorum, ad aedes suae mansionis reversus, prandium sibi paratum sumpsit. Die antedicta 8 maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, visitationem parochialis ecclesiae Sancti Laurentii Ostiliae prosequens, una cum illustrissimo domino suo vicario generali, in edibus suae mansionis pro tribunali sedit et, de eius [54^v] mandato coram eo vocati, comparuerunt: admodum reverendus dominus Dominicus Mantuani, rector Sancti Laurentii annorum 69, qui obtulit libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, una cum aliis libris eius ecclesiae, quos vidit et visitavit beneque instructos invenit. Fuit subinde interrogatus de vita et moribus sacerdotum et clericorum in sua paroecia degentium et an in eadem adsint publici peccatores; respondit sacerdotes et clericos vitam honestam ducere nullumque publicum peccatorem adesse. Reverendus dominus Federicus Rocca, annorum 74. Reverendus dominus Ioseph Mattioli, annorum 33. Reverendus dominus Scipio Dari, annorum 27, cum mandato ad curam animarum ad annum dato die 8 decembris anni 1753. Reverendus dominus Bernardinus Sandri, annorum 34, cum mandato ad curam animarum ad annum hodie confirmato, rector simplicis benefitii sancti Ioseph in parochiali Sancti Laurentii, cum bullis huius curiae diei 23 iulii 1743. Reverendus dominus Christophorus Bianconi, annorum 24 circiter. Reverendus dominus Laurentius Guelfi, annorum 27 circiter. Clericus Ioannes Franciscus, Alexander nuncupatus, [55] filius domini Felicis Casetti annorum 16, in minoribus constitutus. Angela relicta quondam Iosephi Bardini et Dorothea uxor Antonii Marchini, ambo obstetrices huius pareciae Sancti Laurentii, quae examinatae circa formam baptismi in casibus necessitatis conferendi easque bene instructas esse

cognovit. Quibus habitis, cum continua pluvia a caelo cecidisset, domi permansit, quieti indulset et incoenatus obdormivit. Die iovis 9 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus antistes ad ecclesiam parochialem Sancti Laurentii rediit praemissaque divini Sacramenti adoratione, visitavit suggestum in quo concionatur alternatim, prout observatum fuit in visitatione archipraesbyteralis ecclesiae Sanctae Mariae; organum quoque vidit, sumptibus admodum reverendi domini Dominici Mantuani iuris utriusque doctoris et praefatae ecclesiae rectoris ex integro erectum et organista percipit mercedem librarum centum ab hac spectabili communitate viditque chorum retro altare majus, sedilibus et scamnis bene instructum. Visitavit denique totam ecclesiam, quae non est consecrata, divo Laurentio levitae et martiri dicata, cui adnexa est animarum cura quaeque [55^v] manutinetur ab hac spectabili Ostiliae communitate et in eius omnibus partibus cognovit ornatum et munditiam quibus haec ipsa ecclesia attentione et liberalitate praefati admodum reverendi rectoris continuo servatur. Campanile observavit, cum tribus campanis, itidem ab eadem communitate manutentum. Sacristiam etiam ingressus, eam lustravit viditque sacras suppellectiles et vasa disposita, quae descripta sunt in policea ut ante praesentata omniaque esse munda et ornata eadem domini rectoris solertia et liberalitate cognovit. Hisce actis, ingressus est domum parochialem et, cum audisset institutum fuisse officium publici magistri, interrogavit admodum reverendum rectorem a quo institutum fuerit, cuius impensis et quis esset magister. Admodum reverendus rector respondit magistrum esse reverendum dominum Ignatium Gualteri, a se electum et eius officii institutionem eandem ex instrumento quod obtulit. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus instrumentum oblatum excepit illudque legit, quod est in actis domini Felicis Lasetti, notarii huius loci, sub die 18 septembris 1751, in fine huius libri ad litteram B positum; ex hoc instrumento vidit admodum reverendum dominum Iosephum Begnozzi, [56] rectorem istiusmet ecclesiae parochialis, in suo testamento iussisse ut ultimum eius haeres assignasset ex eius haereditate tot capitalia quae redderent annuatim summam scutorum centum viginti pro conducendo uno magistro qualitatis et conditionis ab eodem ordinatae, ut ibidem legitur, cum obligatione docendi pueros Ostiliae et Corriggiolorum et ut in praefato testamento. Ultimus eius heres, qui est admodum reverendus dominus Dominicus Mantovani, antequam ex hac vita discedat, exequutus est providam sui auctoris voluntatem assignatisque capitalibus et fructibus juxta voluntatem admodum reverendi Begnozzi elegit, ut supra scriptum est, reverendum dominum Ignatium Gualleri ad illud officium, quod ab eo nunc exercetur. Comendata liberalitate charitateque admodum reverendi Mantuani rectoris praedicti, vocavit reverendum dominum Ignatium Gualleri, quem praesentem et audientem monuit ut partes suas impletet in docendo pueros Hostiliae et Corriggiolorum et praecipue in instituendo illos in doctrina christiana, ad normam decreti Concilii Lateranensis et juxta decretum sacri Tridentini Concilii, ipse reverendus Gualleri professionem fidei coram eodem illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo peregit. Vidit denique et visitavit domum parochialem, decora [56^v] forma et satis amplam, a fundamentis eadem admodum reverendi domini Dominici Mantuani rectoris liberalitate erectam et completam, cum antea vel nulla fuisset domus parochialis vel, si quae extitit, minus apta erat pro habitatione rectoris; nam illa de qua in visitatione anni 1712 locatur minimo praetio et rectores antea in domibus conditiis habitabant, prout eruitur ex policea eiusdem domini rectoris ut ante praesentata, qui percipit pro conducenda domo a camera ducali libras nonaginta sex. Hisce peractis, in ecclesiam reversus factaque oratione pro defunctis, visitationem suam pastorem ecclesiae ipsius Sancti Laurentii, in Domino absolvit. Qua absoluta, rediit ad complendam visitationem ecclesiae archipraesbyteralis Sanctae Mariae castri Ostiliae, quam ingressus adoratoque sanctissimo Sacramento, sumpsit sacras suppellectiles et sacrum fecit eoque absoluto, christifideles iterum sacra Communionem refecit, quos censuit centum fuisse aliosque confirmationis sacramento perunxit iique fuerunt biscentum circiter. Visitavit demum chorum, sacristiam et sacras suppellectiles et vasa in ea disposita, quae describuntur in policeis ut ante praesentatis satisque ornata riteque instructa probavit, ut antea dictum est. [57] Campanile quoque visitavit, in quo sunt tres Campanae et unum tintinabulum quod, prout ecclesia, sacristia et coemeterio atque omnia quae inibi sunt, manutentur sumptibus huius spectabilis communitatis. Post haec illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, sedens in suo throno parato, mandavit mihi, pastoralis visitationis cancellario, ut alta voce legerem suum decretum generale tenoris infrascripti, praesentibus admodum reverendis dominis archipraesbyteris rectoribus Sancti Laurentii et Corriggiolorum

omnibusque sacerdotibus et clericis, confraternitatibus et populo, quod a me exequutum fuit, cuius decreti tenor talis est, videlicet. Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera dilectis nobis in Christo admodum reverendo archipraesbytero, rectoribus, sacerdotibus, venerabilibus clericis et laicis congregationibus universoque populo, fratribus et filiis dilectissimis Hostiliensibus salutem in Domino et mandatis nostris obedientiam. Supremus Pater familias, ut vineae huius aedificia sacra, agricolas, operarios oviculasque in ea degentes fructus etiam quos ipsa dederit attento oculo visitaremus nobis mandavit. Statim ac totius ecclesiae veronensis sollicitudo concessit, libentissime [57^v] mandatis paruimus, quum vos videre diuturno desiderio afficeremur. Omnia huic dispensationi nostrae commissa lustravimus et, ut speculatorem domus Israel decet, singula cognoscere et singulis consulere satagemus. Vidimus equidem templa et sacella in hoc Hostiliensi districtu satis ornate constructa. Parochorum et sacerdotum atque omnium clericorum honestam vitam et promptum ad eorum munera officium experti sumus. Hujus vero populi pietas atque religio ubique claruit, una cum procerum et ipsius communitatis munificentia ac tanta filiali caritate, ita ut nos quoque – licet imeriti – dicere possimus quod Paulus ad Galatas scripserat: *non sprevisitis neque respuistis, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum; testimonium enim perhibeo vobis qui, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis nobis*. Quapropter Deo nostro per Iesum Christum gratias pro vobis omnibus agimus, qui illud desiderium nostrum implevit vosque, carissimi filii, cognoscere licuit ambulantes in caritate, ab huius saeculi malitia abhorrentes dignosque impertiremur vobismet ipsis gratiae spiritualis ad confirmandum [58] vos, ex quo simul consolari possimus per eam, quae invicem est, fidem vestram atque nostram. Dum haec a nobis agerentur, gratiam et pacem vobis, hostiam viventem Deo offerentes precati sumus, sacramentis ineffabilibus spiritus vestros renovare studuimus atque, ex cathedra et privatis colloquiis, in charitate et spiritu mansuetudinis monuimus vos ut, sanctificati factores legis sitis, ne obediat concupiscentiis mortalis corporis, sed uno spiritu viventes, abundetis in opere Domini. Vos iterum, antequam hinc discedamus, hortamur et obsecramus atque ut nos spiritu praesentes vobismet ipsis simus, cum corpore absentes erimus, scripta quaedam monita relinquenda censuimus. Primum itaque rogamus vos, qui de sorte Domini constituti ecclesiae muneribus deputati fuistis, archipraesbyter scilicet, rectores, sacerdotes et clerici, ut vita atque officiis vestris ita vos exhibeatis ut a Deo possideri et ipsi vicissim Deum ipsum, quem partem haereditatis vestrae vocatis, possidere possitis. Videte ac mente meditamini utrum haec divina possessio vita, habitu, incessu a vobis praeseratur, utrum irrepraehensibiles sitis, qui aliis corrigendis fuistis praelati. Utrum veluti angeli cum hominibus conversemini, quibus necesse [58^v] est orare pro populo. Mementote vos ex hominibus assumptos fuisse ut hominibus juvetis quae ad Deum sunt. Pergite ab illis criminibus carere quae ne nominari quidem licet, propter quae venit ira Dei in filios diffidentiae, ut in conspectu Dei omnipotentis puro corde et mundo corpore valeatis ministrare. Sobrii igitur et casti candidam stollam servate, a multo etiam vino abstinentes, in quo est luxuria, ne ministerium vestrum vituperetur sanctique sancta tractate. Perpendite patrum institutis impudicos vinoque indulgentes ab officiis sacris et beneficiis ecclesiae arceri eosque etiam a proprio gradu depelli in monasteria detrudendos, ut diuturnam poenitentiam peragant. Quin imo, quum attentos in vos oculos populus coniciat et infirmorum corda suspectis actibus facile percutiantur, sacrorum canonum et diaecesinarum constitutionum disciplinae obtemperate, a quibus vetatur clericus accessus frequentia et cohabitatio cum mulieribus unde mala suspicio aut inconveniens fama exire possit et praecipitur ne spectaculis illi intersint aut saeculi pompis aut choreis aut ioculatorum seu histrionum lusibus, a quibus [59] nulla consuetudo huius generis homines excusat, utpote quae, si fortasse adesset, corruptella potius censeretur et propterea contumaces poenis subiiciuntur, quibus neque consuetudo neque ignorantia suffragium impendere poterit. Monemus igitur omnes et singulos ut ab hisce etiam diligentius abstineant ac praesertim a choreis et mulierum conversationibus quae magis sanctitati eorum characteris dedecent, prohibentes ne parochi attestations de vitae honestate concedant illis qui hisce monitionibus nostris non paruerint, contra quos etiam poena suspensionis a divinis pro cuiusque contumacia procedemus. Saecularia negotia laicis hominibus, a quibus vos segregati fuistis, conveniunt, Deo siquidem militatis, ut ipsi soli impendatis obsequium. Nulli clerico magnatum procuratorem agere aut quaestus exercere licet. Patres tridentinae Synodi monuerunt ab

ecclesiastico ordine omnis avaritiae etiam suspicionem abesse oportere. Vestrum est orationes frequenter fundere, Deum precari ut populo parcat; studiose et attente, non vero cursim et irreligiose, divinas laudes persolvere; ea discere quae ad vestrum ministerium spectant, ut prompti et idonei sitis sacrorum [59] mysteriorum dispensatores et fratres vestros in timore Domini instituere possitis. A vobis enim lex Domini requiritur et labia vestra custodire debent scientiam. Sitis in primis in docenda doctrina christiana prompti. Ab hoc munere nemo vestrum deficiat, quum id ad vos praesertim pertineat. Parochi vestri cognoscant an in hoc ecclesiastico exercitio sitis frequentes. Moneant eos qui sunt desides nobisque referant contumaces. Nullus sacerdos alienae diaecesis ad celebrandum admittatur a parochis ipsis vel a regularibus qui in hac regione sunt, nisi facultatem a nobis celebrandi sacrificium obtinuerint seu nisi ab admodum reverendo vicario nostro foraneo alicui transeunti sacerdoti id concedatur; quod tamen concedere nullatenus poterit iis qui in hisce partibus moram trahere cognoverit vel iis qui, quamvis transierint, testimoniales litteras suorum ordinariorum eidem non praesentaverint. Habitus ipse vester extrinsecus morum honestatem intrinsecam et ministerii sanctitatem ostendat. Ipse ad normam a constitutionibus nostris constitutam a vobis deferatur, quum a [60] Concilio tridentino poenis etiam suspensionis a divinis coercendi censeantur ii clerici qui, moniti, honesto habitu juxta episcoporum suorum mandata non utuntur. Pastorale nostrum officium nos urget ut omnes quibus animarum cura commissa est, sacerdotes quoque et clericos qui in hac degunt regione, cui admodum reverendus dominus Ioannes Maria Draghi, vicarius foraneus a nobis prefectus fuit, moneamus et hortemur ut ad congregationes, quae pro definiendis questionibus casuum conscientiae statutis temporibus celebrari solent juxta tenorem nostrarum constitutionum, accedant atque eas frequentent eidemque vicario foraneo obtemperent in iis quae ad eius officium spectant, animadvertentes se se reos inobedientiae futuros si ab huiusmodi munere defecerint poenasque duros quae ab ipsis constitutionibus comminantur contra inobedientes. Caveat autem admodum reverendus vicarius foraneus ne alicuius negligentiae conniveat neve attestations concedat quae requiruntur quoties facultas audiendi sacramentales confessiones est confirmanda, vel quoties quis est promovendus ad sacros ordines aut ad beneficia ecclesiastica, nisi constet de eius vitae honestate, de officii sui diligentia, juxta [60] nostram et praedecessorum nostrorum mentem. In casibus autem definiendis, nemo a praeceptis summi atque sapientissimi regnantis pontificis discedat, qui semel et iterum edixit “ab illis qui doctrinae ac virtutis gloria supra caeteros efferuntur consilium esse exposcendum, plures esse scriptores examinandos, qui magis inter caeteros praedicantur easque partes suscipiendas quae tum ratione tum auctoritate plane confirmatae intelliguntur”. Nosmet ipsi, in nostris pastoralibus monitis jam editis, nonnullas ex Ioannis Matthaei Giberti praedecessoris excerptas animadversiones et praecepta edidimus, quae in administrando sacramento penitentiae a sacerdotibus sunt observanda. Hortamur ut illas perlegant et meditentur quibus sancte pridenterque munus suum exequantur. Vobis, venerabiles ecclesiae ministri, illi christiani accedunt qui fraternitatibus canonica auctoritate in hac regione institutis nomen dedere ut per bona opera quae in illis ordinata fuerunt, certam suam vocationem et electionem facerent. Illi enim cultu quodam veluti religioso exercitio et habitu Deo et ecclesiae deserviunt, unde summorum pontificum liberalitate privilegiis atque indulgentiis eorum congregationes ad benefaciendum institutae [61] auctae fuere. Nobis autem, dum eorum pias institutiones visitando cognovimus, sperare licuit nullos ex iis adesse qui a Giberto praedecessore nostro notantur, scilicet qui accedant ad huiusmodi congregationes *potius pro ceremonia quadam quam pro vero Dei cultu* quique parochis eorumque sollicitudini magis contradicant, quam illos eorumque ministerium juvent. Nihilominus ne aliquando inimicus homo super agrum vestrum zizania seminare attentet, monendos censemus omnes et singulos harum congregationis confratres ut, quoties Deum honorare psalmis et orationibus solent eorum quoque cor longe non sit ab ipso, caventes in primis ab omni peccato, ne aliquis, dum laudes divinas persolvendas suscepit, a Deo illis verbis fortasse increpetur, *quare assumis per os tuum nomen meum!* Deum adorent in corum orationis, sed ut veri adoratores, non fidentes eorum saccis quos induunt, sed adorantes illum in Spiritu et veritate. Obsequio – ut convenit – sacerdotes et praesertim parochum suum omnes prosequantur resque sacras religiose venerentur, memores Core, Dathan et Abiron periisse, qui steterunt contra Moysem et Aaron Ozamque a Deo percussum et mortuum cecidisse, qui ad arcam Testamenti [61] manus extendit. Constitutiones praedecessorum nostrorum, sed eas in primis quae

Gibertus et Pisanus de laicorum congregationibus et oratoriis vulgarere, adamussim observent et quotannis, juxta formam a sacra tridentina Synodo traditam, rationes reddant illi qui ab ordinario deputatus fuerit. Hisce monitis quae hucusque dedimus nihil aliud addendum restat, nisi ut hortemur et moneamus omnes ad quos exequi spectat pia defunctorum instituta ne illa negligant aut privato suo iudicio praejudicent, sed ita exequantur ut pietas et iustitia suadent. Noverint huius generis instituta ad Dei cultum et defunctorum suffragia pertinere et districtum iudicium imminere iis qui res Deo dicatas usurpant aut suffragio defunctos defraudant. Utinam nemo sit qui sibi detestabili hac negligentia tesauret iram in die irae. Utinam omnes, et clerici et laici, a iudiciis divinis timeant, recedentes a malo ac bonum ad finem usque perficientes. Ex caritate qua vobis unus Spiritus nos coniunxit speramus hasce nostras exhortationes et monita vos esse audituros promptoque [62] animo facturos. Diligite vos invicem, in suo quisque officio sedulo atque religiose maneat, secundum donationes et gratiam quae cuique fuerit data. In orationibus vestris memores sitis pastoris, quem Spiritus Sanctus ad hanc ecclesiam regendam posuit quique etiam pro animabus vestris rationem est redditurus. Nos quoque in nostris memoriam vestri faciemus. Omnes Deum deprecemur ut augustissimam reginam et imperatricem huius florentissimi status ducissam Mariam Theresiam, una cum augustissimo imperatore Francisco conregente, incolumen diutissime servet ut, eius imperio nullis molestiis affecto, haec ipsa ditio totusque christianus orbis diuturna atque tranquilla pace gaudere possit. Gratia et pax a Deo Patre nostro et Iesu Christo et charitas mea cum omnibus vobis per communicationem Spiritus Sancti. In quorum fidem et cetera. Datum ex pastoralis visitatione ecclesiarum Hostiliae, die 9 maii 1754. Ioannes episcopus veronensis. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis cancellarius et cetera.

Quo publicato, ex ordine suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, eius copiam authenticam subscriptam ab ipsomet praesule tradidi in manibus admodum reverendi archipraesbyteri et vicarii [62] foranei, affigendam et perpetuo servandam in sacristia suae archipraesbyteralis huius ecclesiae. His actis, ex eadem sua sede amantissimis verbis clero et populo allocutus est, omnes hortando et obsecrando ut in sancto timore Domini perseverent fructumque visitationis servent; eosdem demum benedictione dimisit, precatus a Deo ut omnipotens eius benedictio descendat super augustissimam et clementissimam reginam Mariam Theresiam, super excellentissimum gubernium ducatus Mantuae nec non super illustrissimum huius regionis potestatem dominum Alexandrum Noni et in primis super istum sibi dilectissimum clerum et populum et, facta oratione pro defunctis, visitationem huius parochialis ecclesiae aliarumque parochialium ecclesiarum, de quibus supra, in Dei nomine absolvit. Domum reversus, prandium sumpsit et a sollicitudine suae pastoralis visitationis reliquo diei tempore quiescens, ad aedes illustrissimi domini potestatis se contulit, ut erga eundem illustrissimum dominum Alexandrum Noni potestatem suae dilectionis atque observantiae significationem aliquam ostenderet atque adeo erga excellentissimum Mantuae gubernium, quod ab ipso [63] representatur animi sui obsequium praesereret. Die veneris 10 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus antistes prelaudatus, cum pastorem suam visitationem ad alias ecclesias prosequi vellet, peracta visitatione trium suprascriptarum ecclesiarum parochialium, cuius occasione spectabilis comunitas Hostiliae, prout de more, procuratoris onus subivit, mane ad iter erga Pontemposserum partem se obtulit; sed, ingenti pluvia impeditus, hora tantummodo decima nona propositum suum exequi potuit. Itaque sumpto prandio, aedes in quibus moratus erat reliquit et iter aggressus est, a praefato illustrissimo domino potestate atque a reggentibus spectabilis universitatis Hostiliae aliisque multis eiusdem terrae primatibus, archipraesbytero et sacerdotibus stipatus, ad Pontem Molinum usque pervenit. Quo in loco, ab ipso illustrissimo potestate, nomine etiam excellentissimi gubernii Mantuae atque Hostiliae universitatis humanissima horatione illustrissimus et reverendissimus praesul salutatus actisque gratiis pro completa eius pastoralis visitatione, in qua tot ac tanta suae charitatis et beneficentiae argumenta clero et populo hostiliensi impartitus est, quibus omnium animos devinxit suique desiderium reliquit, a Ponte Molino discessit obviumque statim vidit manipulum hominum Pontisposseri [63] equitantium, qui ducebantur a nobili domino comite Bonifacio Fregosio, a quo communitatis eius nomine humili obsequio veneratus iisque stipatus, iter prosecutus est ad fines usque Pontisposseri, ubi milites pedestres ordinantiarum illum exceperunt quo usque ad aedes nobilis viri Leonardi Grimani, patris veneti, pervenit, in quibus eius mansio parata erat ibique refectus, aliquantulum somno indulsit. Die sabbathi 11 maii 1754.

Summo mane illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus surrexit et, omnibus in ecclesia dispositis, ad ianuam paratae ibi mansionis descendit ibique, sub baldachino a sex hominibus loci gestato, super pulvinaribus stratis genuflexus, crucem, sibi a reverendo archipraesbytero pluviali induto porrectam, adoratus et deosculatus est, schola interea doctrinae christianae et clero praeuentibus et psalmum *Benedictus* decantantibus, ecclesiam parochialem Omnium Sanctorum de Pontepossero adivit. Quo peruentus, in eius limine stetit acceptoque aspergillo e manibus ipsius reverendi archipraesbyteri, se aqua lustrali signavit et populum aspersione atque etiam thurificationis honorum recepit. In eadem ecclesiam progressus, ante sanctissimum [64] Eucharistiae sacramentum genuflexus oravit; decantata interea oratione titularis, altare ipsum conscendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam, confessione praemissa, impartitus est.

[A margine: PONTEPOSSERO] Ad thronum, sibi a latere evangelii altaris majoris paratum, venit et violacei coloris sacris apparatus vestitus eidemque inservientibus in dalmaticis admodum reverendo domino Ioanne Maria Reggiani archipraesbytero Villae Pictae et admodum reverendo domino Antonio Ferrari rectore Fagnani, altero diacono et altero subdiacono, oravit pro defunctis in ecclesia et adnexo coemeterio, quod etiam visitavit. Exutus sacris apparatus violacei coloris albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide cuius cuppa et operculum sunt argentei, pes autem ex auricalco inaurato. Vidit etiam ostensorium argenteum radiatum et amigdalam pro deferendo Viatico ad infirmos longinquos. Interrogatus reverendus archipraesbyter respondit hoc Sacramentum renovari singulis hebdomadibus et in hyeme aliquando post dies quindecim; habere autem animas suae curae subiectas quae comunicant 319, [64^v] in totum vero 531; in Paschate comunicatis schedas distribui et colligi; lampadem continuo ante hoc Sacramentum ardere, impensis ipsius domini archipraesbyteri; cereis autem altare hoc pro cultu Sacramenti provideri ab eodem domino archipraesbytero et in festis Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, et in Paschate resurrectionis ab hac communitate; suppellectiles adesse necessarias pro deferendo Viatico ad infirmos, quae ab hac communitate manentur, prout descriptae sunt in policea quam, una cum aliis, parendo mandatis, idem dominus archipraesbyter obtulit et ego cancellarius recepi et in fine huius libri posui ad litteram D; quas suppellectiles vidit et visitavit et satis decenter instructas cognovit. Posthaec populo eodem Sacramento benedixit et sacrosanctum missae sacrificium celebravit; quo peracto, sacram Eucharistiam tercentum circiter utriusque sexus christifidelibus distribuit ac alios postea ad numerum mille circiter sacro chrismatis oleo in fronte perunxit. Dum praemissa agerentur, illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit altare majus, cum tabernaculo et portatili, quod est in omnibus eius partibus marmoreum et a domino archipraesbytero manentur; [65] in quo – ut fuit assertum – nulla est officiatūra. Societas sanctissimi Sacramenti non est erecta, prout neque in postrema visitatione anni 1716, cum difficile sit congregare christifideles in aliqua societate pro hac ecclesia; nam fere singulis annis parochiani mutantur; communitas nihilominus supplet pro suppellectilibus et cereis necessariis ad deferendum Viaticum ad infirmos. Altare beatæ Virginis Mariae a Rosario, marmoreum in mensa et gradibus, de ratione societatis sub eodem titulo, prout enunciatum fuerat in visitatione anni 1716; quae tamen societas, ea de causa quae supra dicta fuit, fere nullos habet confratres et administrantur redditus huius altaris a Vincentio Fortis et Iosepho Filippini, qui dicuntur consiliarii eiusdem societatis nec non a Sebastiano Asoli, ipsius capserio, prout ex policeis exhibitis a domino archipraesbytero et ut ante positus. Redditus huiusmet societatis sunt circa librarum octingentarum et missarum nonaginta sex est onus, quod etiam ex eisdem policeis inuitur, cui oneri satisfacit idem dominus archipraesbyter et eleemosynas recipit a supradicto capserio. Altare sancti Antonii patavini, marmoreum in mensa et gradibus cum portatili et icone depicto, quod [65^v] manentur a praedicta societate Rosarii, collectis a capserio eleemosynis, quae in capsella colliguntur posita iuxta altare istud; nullum in eo est beneficium seu officiatūra, sed celebratur ex devotione. [A margine: Santissimo Salvator del Bosco] Visitavit subinde oratorium publicum sub titulo Sanctissimi Salvatoris nostri, in contracta ut vulgo dicitur *del Bosco*, infra limites parochialis Ponteposseri, de ratione nobilium virorum Antonii Grimani et Ioannis Donati, successorum nobilium virorum fratrum de Delfinis, patriciorum venetorum, in quo unicum est altare, cum portatili et icone depicto et ibidem est officiatūra, cum onere celebrandi diebus festis et bis in hebdomada, pro

qua celebrat reverendus dominus Ioseph Mantoanelli, sacerdos de Salizzolis, nunc degens in parocia Pontisposseri et ab ipsis patronis accipit stipem ducatorum sexaginta. Vidit nondum exequutam fuisse ordinationem visitationis anni 1616, in qua ordinatum fuit ut super altare poneretur umbella qua ipsum altare et sacerdos celebrans cooperiantur; alias vero ordinationes decretas in eadem visitatione ad idem altare adimpletas esse cognovit. Visitavit sacristiam et in ea sacras suppellectiles et vasa quae descripta sunt in policea exhibita et [66] ut ante posita viditque nondum clausa esse hostia per quae oratorio et sacristiae patet additus in hortum privatum, quamvis id ordinatum fuerit in praecedentibus visitationibus. Vidit in hoc oratorio capsulam et interrogavit reverendum Mantoanelli cappellanum quae eleemosynae colligantur. Respondit colligi eleemosynas pro animabus in purgatorio existentibus; eius clavem custodiri a domino archipraesbytero, a quo extrauntur ipsae eleemosynae et in fine anni ex iis celebratur offitium ab eodem domino archipraesbytero juxta vires eleemosynarum clectarum. Vidit etiam campanile, in quo unica est campana. Ordinata. Exequatur ordinatio praecedentis visitationis de umbella ponenda super altare – item exequatur altera ordinatio, in praecedentibus visitationibus facta et repetita, de claudendis muro hostiis per quae ex oratorio et sacristia patet additus in broylum privatum – sperae vitreae laudabili forma sarciantur. Quibus habitis et coetera. Ad ecclesiam parochialem antedictam reversus, idem illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit baptisterium quo est in cappella juxta [66^v] ostium ecclesiae, clatris ligneis clausa, prope quam est campanile cum tribus campanis quae, una cum campanile ipso, manentur ab hac communitate. Visitavit olea sancta, in eorum custodia a cornu evangelii altaris majoris tute et rite facta; vidit vascula, tam majora quam minora, eorumdem oleorum sanctorum nec non thecam pro asservando sale, omnia ex argento confecta riteque instructa. Vidit duo confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis utriusque sexus christifidelium confessionibus, rite confecta. Visitavit etiam sacras reliquias ex ligno sanctae Crucis, in cruce cristallina repositas, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Bartholomaei Gradonico, archiepiscopi Thiathirae, diei 5 aprilis 1738 munitas et in hac curia recognitas die 21 octobris 1741; quam, thure adhibito, veneratus est. Alteram ex arca sanctae Eurosiae, in reliquiario ad formam ostensorii confecto, sigillo et litteris huius curiae diei 9 maii 1751 munitam. Brachium sancti Ioannis martiris, in arca lignea cristallis clausa, alias in visitatione anni 1716 recognitum atque parvo sigillo huius curiae hodie iterum munita fuit. Haec reliquia custoditur in sua custodia, in muro a parte epistolae altaris majoris sita; aliae vero duae [67] priores custodiuntur in altera custodia, sita in altare sancti Antonii. Visitavit sacristiam et in ea sacras suppellectiles et vasa, quae descripta sunt in policea exhibita et ut ante posita, quae decenter et ornate parata esse cognovit. Vidit etiam sugestum, in quo concionatur temporibus Quadragesimae et Adventus et concionator eligitur a domino archipraesbytero, cum stipe in Quadragesima ducatorum quinque et in Adventu ducatorum duorum. Visitavit denique totam ecclesiam, dicatam Omnibus Sanctis et in eius choro est icon a perito pictore depictum, representans omnes sanctos. Haec ecclesia non est consecrata et manentur, quoad materiale, ab hac communitate. Admodum reverendus archipraesbyter habet redditus et onera ut in policea per se exhibita et ut ante posita atque tenetur celebrare tres missas in hebdomada, ex testamento quondam nobilis viri Francisci Grimani et accipit stipem tronorum biscentum triginta unius a nobili viro domino Leonardo Grimani, patritio veneto; tenetur etiam celebrare vel celebrare facere omnibus diebus festis de praecepto et alias missas duas in hebdomada, ex legato quondam [67^v] Iosephi Verdellae et percipit redditus pro hoc onere ex agris a testatore relictis et prout in praecitata visitatione anni 1716 nec non ex policea ab eodem domino archipraesbytero praesentata et ut supra posita. Huic oneri satisfacit reverendus dominus Antonius Pellicano, ab ipso domino archipraesbytero ad id electus. Vidit et visitavit domum parochialem ecclesiae adnexam. Quibus omnibus peractis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, ad mansionem suam reversus, prandium sumpsit. Die antedicta 11 maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad praefatam parochialem Ecclesiam rediit et, congregata in ea schola doctrinae christianae, eandem visitavit; viros, pueros, mulieres atque puellas interrogatas voluit super christianae religionis articulos et legem divinam summaque animi sui consolatione, audivit omnes doctrinam christianam calere laudavitque solertiam parochi, qui illos suae curae commissos attente in rudimentis fidei et divinae legis edocuit. Posthaec in aedibus parochialibus receptus, una cum illustrissimo domino suo vicario generali pro

tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, [68] comparuerunt consiliarii huius communitatis Pontisposseri, quos interrogavit de vita, honestate et offitio domini archipraesbyteri et sacerdotis Antonii Pelicani ac utrum in hac paroecia sint scandala et publici peccatores et responderunt honestam religiosamque vitam ducere reverendum eorum archipraesbyterum atque sacerdotem Antonium Pellicani eosque numquam deesse respective eorum offitio nullosque vivere in hac ipsa paroecia peccatores publicos nullaque scandala cognosci. Vocavit deinde admodum reverendum dominum Antonium Belloti, archipraesbyterum huius ecclesiae et ostendit bullas diei 18 mensis iunii 1727. Obtulit etiam libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum, quos lustravit et omnia esse ad normam praeceptorum ecclesiae facta expertus est. Comparuit denique reverendus dominus Antonius Pelicani, sacerdos annorum 27 circiter, cum mandato ad confessiones ad annum quoad mares. Cumque illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus noverit eius prudentiam, pietatem et sufficientem scientiam, hortatus est illum ut onus subiret audiendi confessiones etiam mulierum, ut [68^v] in cura animarum huius loci archipraesbytero esset adiumento. Completa visitatione factaque ordinatione infrascripta, in ecclesiam reversus oravit pro defunctis et processit illico ad visitandam ecclesiam parochialem Sanctae Mariae de Fagnano. Ordinata. Fons baptismalis cooperiatur conopeo serico, vel semiserico coloris albi. Nobilis dominus Carolus Alegri humanissime egredientem ab ecclesia parochiali Pontisposseri praesulem excepit eumque comitatus est, una cum pluribus hominibus ipsius communitatis Fagnani aequitantibus, ad aedes suas, in quibus eidem praesuli mansio parata erat; ubi illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus receptus, incoenatus somnum coepit. Die dominico 12 maii 1754. Facto mane, omnibus in parochiali ecclesia Sanctae Mariae de Fagnano dispositis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, servatis ritibus a pontificali romano praecriptis, in eadem ecclesiam ingressus est adoratoque divino Sacramento et decantatis decantandis, altare maius ascendit, populo benedixit [69] suamque episcopalem indulgentiam impertitus est. [a margine: FAGNANO] Ad thronum sibi in cornu evangelii altaris majoris decenter paratum venit, ubi violacei coloris sacris indumentis vestitus sibique inservientibus in dalmaticis reverendis dominis Benedicto Segala rectore Pellegrinae pro diacono et reverendo domino Dominico Gandini pro subdiacono, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, persolvit. Exutus violacei coloris sacris indumentis albisque sumptis praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea in cupa intus inaurata et in pede cuprea, quae custoditur in tabernaculo marmoreo, non multo ab hinc tempore – in hoc altare item marmoreo – aedificato. Vidit etiam ostensorium argenteum radiatum, prout etiam amygdalam, quae omnia satis ornate instructa cognovit. Ex factis interrogationibus habuit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; sub hac cura esse animas a communione 227, in totum vero 353 nullumque adesse [69^v] qui praecepto ecclesiae non paruerit; communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi; lampadem ante idem Sacramentum continuo ardere, impensis reverendi archipraesbyteri; cereos autem manuteneri ab hac comunitate et societatem Corporis Christi manuteneri suppellectiles necessarias pro decenti associatione divini Sacramenti ad infirmos. Reverendus archipraesbyter obtulit policeas in mandatis requisitas et in fine huius libri positas ad litteram E. Populo subinde eodem sanctissimo Sacramento benedixit. Reposito augustissimo Sacramento sumptisque sacerdotalibus apparatus, missam celebravit, supra tercentum utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem praebuit et supra mille quingentos itidem utriusque sexus christifideles sacro chrismatis oleo in fronte perunxit. [A margine: san Filippo Nerio] Dum praemissa agerentur, illustrissimus dominus vicarius generalis se contulit ad visitandum publicum oratorium Sancti Philippi Nerii, intra limites parochialis Fagnani, de ratione nobilis domini comitis Petri de Giustis, in quod ingressus, in eadem conditione illud vidit in qua erat quando visitatum fuerat anno 1716, [70] unde suspensum fuit neque adimpletum obligationibus – si quae fortasse extiterint – celebrandi missam in eodem. Ordinata. Monendum esse patronum huius oratorii ut consulat conscientiae suae quoad obligationes missarum, si quae sunt, et oratorium istud remanere in eadem suspensione donec provisum fuerit quod est exequendum ab eodem patrono, non modo si quae obligatio penes ipsum sit, sed etiam ne deficiat debito religionis qua tenetur res sacras sub suo jurepatronatu existentes sanctas tectasque servare. Quibus habitis, ad parochialem ecclesiam reversus, visitavit altare majus cum portatili

marmoreum, ut supra dictum est, cui retro in choro est icon, in quo depicta est imago beatæ Virginis Mariæ, sub cuius titulo est altare et ecclesia et præterea depictæ sunt sanctæ virgines et martyres Catharina et Lucia. Hoc altare, prout tota ecclesia, manutenetur a communitate; in eodem tamen altare erecta fuit societas Corporis Christi, ut apparet ex præcedentibus visitationibus et [70^v] hæc societas habet redditus quos percipit ex contractibus censuariis cum Iosepho Modena tronorum 34, cum Dominico Zera tronorum 41 et cum Antonio et Donato fratribus Zera tronorum 6.10; in totum tronorum 81.10, prout constat ex libris eiusdem societatis, exhibitis, visis et restitutis, ex quibus etiam constat onera eiusdem, videlicet: distribuendi in die sexta majoris hebdomadæ unum saccum panis, ex legato quondam Iacobi Roveda anni 1494; celebrari faciendi tot missas quot celebrari poterant ex tribus quartis partibus provenientius ex reddito tronorum 34, pro quibus solvit supradictus Iosephus Modena, conductor petiarum terræ in contracta *del Rivan*, relictarum a quondam Francisco Modena, cum quarta reliqua pars, ex mente eiusdem Francisci Modena, cedat beneficio eiusdem societatis. Tenetur etiam societas hæc facere celebrare tres missas in anno, ex antiqua obligatione, cuius origo ignoratur. Item alias missas septem in anno pro quondam Francisco et Ioanne Baptista Maccon; quod remanet ex redditibus superscriptis et ex eleemosinis oblatis impenditur pro cultu sanctissimi Corporis Christi. Suppellectiles pro deferendo [71] sanctissimo Viatico visitavit, quæ descriptæ sunt in policea ut ante præsentata et sufficiunt ad cultum decentem eiusdem divini Sacramenti. Nulla in hoc altare est officiatuura, sed celebratur in eo ex devotione. Altare beatæ Virginis Mariæ a Rosario, quod spectat ad societatem sub eodem titulo, a qua manutenetur. Altare hoc est marmoreum et habet portatile suasque suppellectiles ut in antedicta policea et iconem depictam, in qua representatur imago beatæ Virginis Mariæ a Rosario. Societas prædicta, canonicè erecta, recognita fuit in postrema visitatione anni 1716 habetque redditus tronorum 247.10, scilicet: tronorum 18.6.6, quos percipit a Donato Lucone censuario; tronorum 37.4 a Marco Antonio de Grandis; tronorum 11.3 a Victoria Minucelli, relicta quondam Dominici Bonvicini; a venerabili sacristia huius parochialis ecclesie, quæ successit cuidam Bui, tronorum 19.8; tronorum 18.12 a Iosepho Bendineli; tronorum 9.6 a Dominico Lucon; tronorum 9.6 a nobilibus dominis comitibus Hieronymo patruo et Carolo nepote de Alegris; tronorum 33 a nobili domino Laurentio Spineta; tronorum 13.5 a Iosepho Padoani dicto Buriel et tronorum 78 a Matteo Bressan et prout ex libris a reggentibus eiusdem societati exhibitis, visis et restitutis, [71^v] ex quibus etiam cognovit onera ipsius societatis, videlicet: unius missæ in hebdomada pro quondam Trinca; missarum quinque in anno pro quondam Lucia Geminiana missarum septem item in anno pro quondam Andrea et Francisco Maccon; missarum viginti quinque in anno pro quondam Petro Maccon; officii missarum quatuor in anno pro quondam Georgio Turoni, cum eleemosyna tronorum 14.8 et denique missarum viginti septem pro quondam Laurentio Moreli. In hoc ipso altari beatæ Virginis Mariæ a Rosario est officiatuura nuncupata *la Maccona* missarum trium in hebdomada, præter missas quas singulis diebus festis de præcepto tenetur applicare cappellanus ipsius, qui modo est reverendus dominus Franciscus Sarzi et accipit ab hac communitate stipem ducatorum sexaginta quinque, ex capitalibus factis ex bonis venditis, quæ erant eidem officiatuurae subiecta. Altare visitavit beatæ Virginis Mariæ nuncupatae *del Rilevo* seu *la Madonna Grande*, ut vulgo dicitur, cum mensa marmorea, in qua est portatile ad mensuram canonicam et in eo erecta est imago beatæ Virginis Mariæ in ligno sculpta. Hoc altare est de ratione societatis sub eadem [72] invocatione, quæ habet suos redditus tronorum 137.8, ex capitalibus censuariis, videlicet: tronorum 8 a Ioanne Pasquoto; tronorum 22.10 a Laurentio et Donato fratribus Lanza; tronorum 18 ab Antonio Lanza; tronorum 20 a Laurentio et fratribus Morelli; tronorum 20 a Victoria Minucelli Bonvicini; tronorum 13.15 ab Antonio et fratribus Zera et tronorum 35.3 a Ioanne Baptista Benin et Petro Supion et prout ex libris ipsius societatis, ab eiusdem reggentibus exhibitis, visis et restitutis, ex quibus etiam constat onus adnexum missarum sex in anno pro quondam Lucia Geminiani. Est officiatuura in hoc ipso altari, ex legato quondam reverendi Francisci Pasini, cum obligatione missæ applicandæ diebus festis et tribus in hebdomada, quæ adimpletur a reverendo domino Andrea Franco, cum stipe ducatorum sexaginta quinque, quamvis in visitatione anni 1716 enunciabatur stipem fuisse ducatorum septuaginta; nam, venditis bonis subiectis, capitale quod ex iis coaluit sexaginta quinque ducatos tantum reddit, qui solvuntur ab hac communitate. Interrogavit reggentes ipsarum trium societatum a quibus sacerdotibus adimplentur onera quæ respective spectant ad ipsas. Responderunt [72^v] consuevisse tradi

eleemosynas admodum reverendo archipraesbytero et obtulerunt syngraphas eiusdem, quibus fatebatur accepisse easdem eleemosynas. Interrogavit utrum quotiescumque adimplentur onera ipsa notetur celebratio missarum in libro sacristiae. Responderunt hoc ab ipsis ignorari, cum numquam viderint librum missarum in sacristia. Altare sancti Bubonis, cum portatili et icone depicto; habet mensam marmoream estque de ratione familiae de Luconis, in quo nulla est officiantura, sed in eo ex devotione patronorum celebratur. Super hoc altare posita fuit umbella juxta ordinationem de qua in visitatione anni 1716. Altare sancti Salvatoris seu Pietatis, quod habet mensam marmoream cum portatili, in quo altari est erecta imago Salvatoris, ex ligno sculpta. Spectabat ad sanctam Domum Pietatis, tamquam haeredem quondam domini Iacobi de Scloppis, cum onere celebrari faciendi quotidie ex redditibus relictis ab eodem testatore; nunc spectat ad nobilem dominum comitem Carolum de Alegris, emptorem universitatis bonorum quae possidebantur in hoc loco Fagnani ab eadem Domo Pietatis provenientia [73] ex praefato testatore et onus missae quotidianae adimpletur a reverendo domino Laurentio Travagini, cappellano electo amovibiliter a praefato nobili domino comite Carolo Alegri, a quo conveniens eleemosyna traditur. Hoc altare dotatum est suis suppellectilibus pro missa celebranda, quae descripta sunt in policeis ut ante exhibitis. Visitavit baptisterium, juxta ianuam majorem ecclesiae situm, rastris ligneis sera et clavi munitis clausum. Vidit olea sancta, videlicet: vascula majora stamnea, cum operculis ad formam cocleae paratis; alia autem vascula chrismatis, cathecumenorum et infirmorum sunt argentea et haec servantur in eorum custodia, rite facta et clausa, in cornu evangelii altaris majoris, omnia decenter et ornate quoad baptisterium et eadem olea sancta instructa esse cognovit. Visitavit sacristiam et in ea sacras suppellectiles et vasa, quae descripta sunt in policeis ut supra praesentatis et repositis. Vidit denique et visitavit chorum, campanile in quo duae sunt campanae, suggestum, in quo concionatur tempore Quadragesimae et eligitur a communitate [73^v] concionator, cum honorario tronorum quadraginta octo; domum parochialem totamque ecclesiam beatae Virgini Mariae dicatam, quae non est consecrata et haec omnia ab hac comunitate manentur. Quibus habitis, cum illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus jam defatigatus esset, ad aedes suae mansionis reversus, prandium sumpsit. Die antedicta 12 maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ad antedictam ecclesiam parochialem perexit, in qua jam convocatus erat per consueta signa populus pro exercitio doctrinae christianae adoratoque divino Sacramento, eidem sancto operi incubuit et per varias interrogationes, de suo mandato factas, pueris, puellis et adultis circa fidei misteria aliaque ad aeternam salutem necessaria scitu, omnes bene edoctos esse cognovit. Imagines subinde ex marmore sculptas sanctorum Vincentii Ferrerii et Aloysii Gonzagae in altari majori positas, servata forma ritualis romani, benedixit. His actis, in aedes parochiales se recepit et, una cum illustrissimo domino vicario suo generali, pro tribunali [74] sedit et, antequam vocaret parochum coram se et sacerdotes huius curae, sumpsit informationes a fide dignis hominibus huiusmet loci super vita, moribus et offitio praedictorum parochi et sacerdotum, ex quibus cognovit excessus eiusdem parochi ob obrietatem, qua multo vino indulgens, scandalo est populo sibi commisso, turpiloquia et convitia proferens et a suo offitio deficiens, unde, vocatus de suo mandato, comparuit. Admodum reverendus dominus Antonius Ferrari annorum 58, qui obtulit bullas, ad sui favorem datas, collationis huius benefitii, quod obtinuit per concursum anno 1730. Obtulit etiam libros curae, matrimoniorum scilicet, baptioiatorum, mortuorum et status animarum, quos vidit et visitavit fuitque canonicè admonitus ut in actis criminalibus huius curiae. Comparuerunt subinde etiam vocati: reverendus dominus Andreas Franco, sacerdos annorum 40, cum mandato pro cura animarum, ad annum confirmato die 4 novembris 1753. Reverendus dominus Laurentius Travagnini, sacerdos annorum 60. Reverendus dominus Franciscus Sarzi, sacerdos annorum 30. Qui omnes eorum mandata ordinum respective et pro confessionibus illustrissimo et reverendissimo praesuli debito obsequio obtulerunt. [74^v] Angela relicta quondam Dominici Santini et Maria relicta quondam [manca] Marcolini, obstetrices huius loci quae, alias cum examinatae fuissent a praefato reverendo archipraesbytero circa formam baptismi in casibus necessitatis, satis instructas esse compertus est. Posthaec rediit in praefatam parochialem ecclesiam factisque infrascriptis ordinationibus, oravit pro defunctis et visitationem huius parochialis ecclesiae absolvit. Ordinata. Eleemosynae quaecumque non solvantur cuilibet sacerdoti nisi antea cognitum fuerit ex libro missarum, qui semper servandus erit in sacristia, descriptas fuisse missas celebratas, exprimendo in eodem diem, intentionem et

applicationem – in libro et in partitis mortuorum describatur morbus quo defuncti decesserunt – partitae matrimoniorum describantur in libro juxta formam ritualis romani nec aliter nec alio modo et observetur sintaxis latina in omnibus partitis describendis. Egressus ex praefata ecclesia Fagnani deveneratusque a domino archipraesbytero, clero et populo, rhedam suam conscendit et versus parochialem ecclesiam Sancti Blasii Castribelfortis iter tetendit, a praefato nobili domino comite [75] Carolo de Alegris et a plurimis ex hominibus Fagnani associatus et pervenit ad oratorium beatae Virginis Mariae intra limites parochialis ecclesiae Ronchilevati, ubi iterum deveneratus a praefato nobili domino comite de Alegris et hominibus Fagnani iisque sua cum benedictione dimissis, expectabatur ab illustrissimo domino Alexandro Colombini, potestate praedicti Castribelfortis et a praecipuis viris eiusdem loci, a quibus omnis reverentiae officio exceptus, prosequutus est iter, iisdem concomitantibus usque ad Castrum Belforte et ingressus est aedes nobilis domini marchionis Ludovici Andreasi, sumptibus admodum reverendi archipraesbyteri ipsius loci sibi paratas, ubi milites ab excellentissimo gubernio Mantuae commissi aderant, eosdem militares honores exhibentes, quibus in Hostilia praesul prosequutus fuit ibique, postquam praefato illustrissimo domino potestati officia rediisset, incoenatus quievit.

[A margine: CASTELBELFORTE] Die lunae mane 13 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, facto jam mane omnibusque in ecclesia dispositis, ad ecclesiam parochialem Sancti Blasii Castribelfortis, servatis ritibus a pontificali romano traditis, perexit, in cuius limine sistens, aqua lustrali – aspergillo accepto e manibus admodum reverendi archipraesbyteri pluviali induti – se signavit et frequentem populum aspersit. In ecclesiam ipsa progrediens, ante altare majus [75^v] stratus oravit; decantatis interea decantandis, altare ascendit, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam impartitus est. Mox pluviali violaceo indutus, oravit pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit. Dimissis violaceis albisque sumptis sacris vestibus, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit divinum Eucharistiae sacramentum, quod servatur in pixide argentea inaurata et in tabernaculo marmoreo, sub clavi rite instructa. Vidit aliam pixidem minorem pro deferendo eodem Sacramento ad infirmos, amygdalam et ostensorium argenteum radiatum. Ex habitis interrogationibus cognovit hoc idem Sacramentum debitis temporibus renovari; indulgentias associantibus concessas publicari; communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi; lampadem diu noctuque ante istud divinum Sacramentum ardere; sub hac cura adesse animas a comunione 426, in totum vero 660 nullumque extare qui praecepto ecclesiae non obedierit; oleum pro lampade, una cum cereis, altare et eius suppellectiles manutinentur a societate Corporis Domini. [76] Hisce actis, populo eodem Sacramento benedixit sumptisque sacerdotalibus vestibus, missam celebravit ac octingentis circiter utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem paterna charitate praebuit ac mille circiter itidem utriusque sexus christifideles sacro chrismatis oleo in Christi milites roboravit. [A margine: San Giacomo di Cortalta] Dum praemissa agerentur, illustrissimus dominus vicarius generalis se contulit ad visitandam simplicem ecclesiam seu publicum oratorium Sancti Iacobi, in contracta infra limites parochialis ecclesiae Sancti Blasii Castribelfortis; quod ingressus visitavit. Hoc oratorium olim spectabat ad quamdam familiam Malnati, cui successit Antonius Pantini, qui obtinuit jus patronatus super idem oratorium, ut constat ex actu diei 6 decembris 1628 in libro “Diversorum” huius curiae. Deinde huic successit Ioannes Petrus, eius nepos; postea Cecilia, haeres eiusdem Ioannis Patri sui fratris et uxor Ioannis Petri Curtoni, quibus demum eius filii et successores nobilis familiae Curtoni, a quibus modo idem jus patronatus possidetur, una cum jure patronatus eligendi et praesentandi cappellanum instituendum auctoritate episcopali, prout constat ex collationibus praedicti beneficii in actis huius curiae. [76^v] Tenetur beneficiarius residere in ecclesia et eius domo et celebrare in eodem oratorio missam omnibus et sigulis diebus festis de praecepto, ut videre est ex praesentationibus et collationibus praedictis nec non ex visitationibus annorum 1635, 1655 et 1716. Beneficiarium ipse percipit redditus ex agris triginta circiter, ut innunt eaedem visitationes. Possessor huius beneficii modo est praesbyter Carolus Zorzi, praesentatus a patronis et institutus cum bullis huius curiae die primo iunii 1722 et pro suo patrimonio idem beneficium admissum fuit die 9 martii 1725. Ad instantiam nobilium dominorum de Curtonis, intimatum fuit monitorium huius officii diei 3 martii 1725. Ad instantiam nobilium dominorum de Curtonis intimatum fuit monitorium huius officii diei 3 martii 1746 quo praecipiebatur

praefato domino Zorzi ut onus adimpleret celebrandi diebus festis, quod replicatum fuit aliis monictoriis 19 septembris ipsius anni 1746 et 17 iunii 1747, sub poena suspensionis a divinis in casu innobedientiae et procedendi criminaliter contra ipsum. Contestata lite super iisdem, successit sententia illustrissimi domini vicarii generalis huius curiae diei 11 octobris 1748, qua decretum fuit teneri eundem beneficiarum celebrare, aut celebrari facere, unam missam [77] singulis diebus festis de praecepto, hora competenti, in ipsa ecclesia nec non supplere per se vel per alios pro sacrificiis antea ommissis, confirmando in hac parte monitorialia supradicta; deinde decisum fuit restituendos agros, possessos a patronis, qui spectant huic beneficio, non obstantibus permutationibus quotannis legitima facultate factae non fuissent. Decretum teneri patronos, stantibus rebus ut stant, ad manutenendam sacristiam, ecclesiam et domum rectoris nec non suppellectiles, exceptis ceris, vino et hostiis. Unicum vidit in eo altare marmoreum, cum portatile et icone depicto, in quo rappresentatur Assumptio beatae Virginis Mariae habetque suas ornatas suppellectiles, descriptas in policea exhibita et in fine huius libri positas ad litteram F. Vidit etiam amygdalam, umbellam et fanalia quae adhibentur occasione deferendi sanctissimum Viaticum ad infirmos huius contractae et prout descriptae sunt in policea ut supra praesentata. Vidit oleum infirmorum, quod custoditur in custodia retro altare a parte evangelii, in vasculo argenteo, quod traditur ab archipraesbytero Castribelfortis; ex eadem occasione infirmorum, cum hyemis tempore [77v] viae sunt interruptae. Retro ipsum altare est armarium, in quo asservantur sacra vasa et suppellectiles pro sacrificio missae, quae descriptae sunt in antedicta policea et omnia decenter vidit instructa. Hoc oratorium, altare et praefatae suppellectiles manentur a nobilibus dominis patronis, prout etiam domus pro cappellano, ut asseruit idem reverendus dominus Carolus Zorzi, allegans sententiam huius curiae episcopalis anni 1746, a quibus eadem ratione manentur sacrae suppellectiles pro associando sanctissimo Sacramento ad infirmos et vasculum infirmorum olei. Vidit denique et visitavit domum in qua residet rector et, cum ab eodem expositum fuisset indigere ipsam aliqua restauratione, praesertim in tecto, ordinavit ut sequitur. Ordinata. Restauretur domus in qua rector inhabitat ad normam obligationis nobilium dominorum patronorum et juxta sententiam. Quibus habitis, ego, visitationis cancellarius, monui reverendum Zorzi, cappellanum superscripti oratorii, ut hodie a prandio compareat coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo cum bullis praedicti sui beneficii. [78] Illustrissimus dominus vicarius generalis, ad praefatam parochialem ecclesiam Castribelfortis reversus, visitavit altare majus, nuper ex marmoribus expolitis erectum, quod habet portatile viditque illud suppellectilibus satis ornate instructum; manentur hoc altare a societate sanctissimi Sacramenti, prout etiam in visitatione eiusdem divini Sacramenti fuit observatum. Societas praedicta canonice erecta fuit, ut constat ex visitationibus antea actis habetque suos redditus et onera ut ex policea praesentata a massario eiusdem societatis et in altera – quam, una cum aliis, obtulit reverendus archipraesbyter et in fine huius libri positas ad litteram F – describuntur suppellectiles ipsius altaris ad ipsam societatem pertinentes. Annuatim societas praedicta reddit rationes coram reverendo domino archipraesbytero ad id delegato, prout constat ex libris redditus et expensarum exhibitis, visis et restitutis. Altare sancti Blasii, quod habet portatile et iconem in qua depicta est imago eiusdem sancti Blasii, quod providetur et manentur a praefata societate Sacramenti, in quo nulla est obligatio missarum, sed huic altari annuatim offeruntur quatuor candellae cerae albae ponderis unius librae pro quaque, ex legato quondam Elisabeth Nuvolari, prout in visitatione anni 1716 [78v] enunciatur, quod exequitur a Iacobo Castelletti, successore eiusdem obligationis. Altare sanctissimi Rosarii, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis partibus ligneum, in quo est imago eiusdem beatae Virginis Mariae ex ligno sculpta, quae ornata est vestibis aurifrigio opere contextis; omnia sunt ornata et rite parata; pertinet hoc altare ad societatem sub eodem titulo, quae canonice fuit instituta, prout ex praecedentibus visitationibus et reggitur atque administratur simul cum societate sanctissimi Sacramenti, ut constat in libris ut supra exhibitis et visis et ex policea praesentata et ut ante posita. Onera adnexa eidem societati et altari, prout redditus, descripti sunt una cum redditibus et oneribus societatis sanctissimi Sacramenti et onera ipsa adimplentur. Visitavit altare sancti Antonii, quod habet portatile et iconem, in quo rappresentatur imago eiusdem sancti titularis atque alia beatae Virginis Mariae cum Puero Iesu et sancto Ioseph. Fortasse hoc erat altare sub titulo beatae Virginis Mariae nuncupatae *del Rilievo* et imago in ligno sculpta, quae est in altare Rosarii, illa erat quae in hoc altare venerabatur. Hoc idem altare manentur

a societatibus praedictis. [79] Vidit fontem baptismalem, juxta ianuam majorem ecclesiae, intra cappellam nuper erectam impensis societatum et ex eleemosynis, quae clatra ligna sera munita, clauditur. Vidit vascula argentea oleorum chrismatis, et cathecumenorum, atque cetera quae necessaria sunt ad hoc sacramentum administrandum, omniaque rite instructa cognovit. Olea sancta, in loculo in cornu evangelii altaris majoris et in capsula ex nuce, in vasculis stanneis in quibus eadem olea recipiuntur ab hac cathedrali, omnia juxta sacros ecclesiae ritus parata. Duo confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit sacristiam, et in ea vidit tabulam obligationum, quibus societates tenentur nec non idem dominus archipraesbyter, ex qua tabula desumptae fuerunt descriptiones factae obligationum respectivarum in policeis praesentatis ab ipso domino archipraesbytero et ab iisdem societatibus. Sacram reliquam ex ossibus sancti Blasii episcopi et martyris, sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini Ambrosii Callagane, episcopi ferrarensis, diei 29 maii 1730 in hac curia recognita. [79^v]. In eadem sacristia visitavit sacras suppellectiles et vasa, quae descripta sunt in policeis supra praesentatis et satis ornate paratas esse vidit. Visitavit etiam campanile, in quo duae sunt campanae et unum tintinabulum, quod campanile, una cum ecclesia et coemeterio, manentur ab hac communitate Castribelfortis. In eadem ecclesia est suggestum, in quo concionatur tempore Quadragesimae et concionator eligitur a domino archipraesbytero; stipem tamen ducatorum duodecim monetae mantuanae eidem tradit massarius sanctissimi Sacramenti. Visitavit denique aedes parochiales, quae manentur a praefato domino archipraesbytero. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, actis omnibus praedictis, ad aedes praenarratas rediit et prandium sumpsit. Die antedicta 13 maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus antistes in eadem ecclesiam Sancti Blasii Castribelfortis perexit, in qua jam erant convocati pueri, puellae et operarii doctrinae christianae pro huiusmodi sancti operis exercitio adoratoque sanctissimo Sacramento, eidem incubuit et omnes circa misteria fidei aliaque necessaria scitu ad aeternam salutem sufficienter instructos esse cognovit. [80] Hisce peractis, in aedes parochiales se recepit ibique, una cum suo illustrissimo domino vicario generali, pro tribunali sedit et coram se vocavit reggentes huius communitatis eosque interrogavit super vita, moribus et officio admodum reverendi domini Marci Antonii Emaldi, huius ecclesiae archipraesbyteri nec non sacerdotum in hac parocia degentium et an in eadem adsint publici peccatores; responderunt reverendum eorum parochum honeste ac religiose vivere ac numquam parochiali suo officio deesse; nullum verum alium esse sacerdotem in hac parocia nisi reverendum dominum Carolum Zorzi, rectorem sancti Iacobi de Curte Alta, qui nunquam accedit huic ecclesiae parochiali ut in ea inserviat, quod neque in majoribus anni solemnitatibus exequitur; caeterum nihil amplius de eo sciri, quod referant, nullos esse demum publicos peccatores in hoc loco. Admodum reverendus Marcus Antonius Ernaldi, archipraesbyter huius ecclesiae, quam obtinuit per concursum et ostendit litteras apostolicas diei 24 aprilis 1747; qui, interrogatus de vita et moribus sacerdotum in hac sua parocia degentium et an in eadem adsint publici peccatores, respondit in hac parocia nullum alium sacerdotem esse nisi reverendum dominum Carolum Zorzi; quoad eius mores [80^v] nihil sibi constare de quo ipse sit corrigendus; tantummodo posse referre numquam adesse ipsum in hac ecclesia functionibus ecclesiasticis aut in hebdomada sancta aut in majoribus anni solemnitatibus, aliisque temporibus juxta constitutiones, nullumque – Dei gratia – in hac parocia adesse publicum peccatorem. Ostendit quoque libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum ac status animarum, quos lustravit et bene instructos esse cognovit. Comparuit etiam reverendus dominus Carolus Zorzi, aetatis annorum 52 circiter, rector simplicis beneficii Sancti Iacobi de Curte Alta, intra limites huius parochiae et obtulit bullas ad sui favorem, ab hac curia expeditas die prima iunii 1722; qui monitus fuit ut juxta constitutiones diaecesanas temporibus in iis statutis ad hanc ecclesiam parochialem Castribelfortis, et functionibus sacris inserviat pareatque decretis in sententia pronunciata auditis partibus in hac curia episcopali sub die 4 martii anni 1746 celebrandi missam in praefato oratorio Sancti Iacobi juxta eiusdem sententiae methodum [81] constitutum et supplendo omissionibus factis, quatenus non docuerit se supplevisse, sub poenis in monitoriis contra ipsum cominatis, quae confirmata fuerunt in eadem sententia quaeque iterum confirmantur, praecipiendo insuper ut religiose vivat et abstineat ab iis personis quorum consuetudo non convenit cum suo sacerdotali caractere. Praesentibus reverendis dominis Antonio Benini et Francisco Tomei,

sacerdotibus familiaribus praefati illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi testibus. Post haec rediit in ecclesiam antedictam, in qua oravit pro defunctis factaque infrascripta ordinatione, visitationem huius parochialis ecclesiae Sancti Blasii Castribelfortis in nomine Domini absolvit. Ordinata. In sacristia continuo sit liber in quo sacerdotes celebrantes propria manu, quacumque die celebraverint, describant nomen proprium et applicationem. Peracta visitatione praedictae parochialis ecclesiae Castribelfortis receptisque ab illustrissimo domino Alexandro Colombini potestate, ab admodum reverendo domino archipraesbytero et reggentibus ipsius communitatis devenerationis et gratiarum actionis argumentis iisque cum sua |81| benedictione relictis, iter Balneorum Nogarolarum versus arripuit. Ad confinia obvios habuit nonnullos ipsius communitatis homines equitantes et alios pedestres, illustrissimum et reverendissimum praesulem devenerantes; qui omnes eum concomitati sunt ad aedes usque nobilis domini comitis Alexandri Lafranchini, ad hoc sibi paratas, in quibus receptus quieti primum, deinde somno indulsit.

[A margine: BAGNOL DI NOGAROLE] Die martis 14 maii 1754. Congregato in ecclesia parochiali Sancti Martini Baneoli Nogarolarum populo omnibusque in ea paratis, illustrissimus et reverendissimus dominus antistes ad portas paratae sibi mansionis venit ibique sub baldachino – a quatuor loci viris gestato – receptus adoratoque et deosculata cruce per reverendum rectorem pluviali induto sibi porrectam, ecclesiam praefatam adivit, praeunte schola doctrinae christianae processionaliter, divinas laudes decantante. In cuius limine stans, aqua benedicta – aspersorio accepto e manibus reverendi rectoris – se signavit, populum aspersit et thurificationis honorem recepit. Ante altare maius genuflexus, divinum Sacramentum adoravit, decantata interea antiphona titularis; altare ipsum conscendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam est |82| impertitus. Violacei coloris sacris indumentis vestitus, in cathedra sibi a parte evangelii altaris majoris parata oravit pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit. In ecclesiam ipsam reversus, depositis violaceis albisque sumptis sacris vestibus praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide quae habet cuppam argenteam, reliquas partes cupreas inauratas. Vidit etiam ostensorium radiatum, ex auricalco inaurato et amygdalam argenteam pro comunicandis infirmis distantibus. Ex factis interrogationibus cognovit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; lampadem continuo ardere ante idem Sacramentum, impensis reverendi rectoris; cereos autem manuteneri ab hac comunitate; suppellectiles vero, quas vidit, pro sanctissimo Viatico, videlicet duo fanalia inaurata, quatuor vetusta, umbellam, baldachinum et thronum manuteneri ab eadem communitate piorum eleemosynis; sub hac cura adesse animas a communione 164, in totum 287 nullumque ex villicis in hac paroecia habitantibus esse qui non satisfaciat ecclesiae |82v| praeceptis; comunicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi. Cum deferendum est hoc divinum Sacramentum ad infirmos, dari signa in sero et indulgentias associantibus concessas publicari. Reverendus huius ecclesiae rector, parendo mandatis praesentis visitationis, obtulit polliceas requisitas, quas ego recepi et in fine huiusmet libri reposui ad litteram G. Populo subinde eodem Sacramento benedixit. Reposito sanctissimo Sacramento, sacris indutus sacerdotalibus vestibus, sacrosanctum missae sacrificium celebravit, biscentum circiter utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem praebuit et tercentum circiter itidem utriusque sexus christifideles sacro chrismate in fronte perunxit. Interea illustrissimus dominus vicarius generalis visitavit altare majus, uno ab hinc anno erectum ex marmoribus expolitis, una cum tabernaculo itidem marmoreo eleganter instructo parochianorum eleemosynis, quod habet suppellectiles suas et ornamenta satis decentia, ut in pollicea ut supra exhibita. In eo est portatile ad mensuram canonicam infixum et manuteneretur a communitate. |83| In hoc altare nulla est officiatura aut legatum missarum, sed celebratur in eo a reverendo rectore. Altare sanctarum Mariae et Elisabeth, marmoreum cum portatili et icone depicto, quod manuteneretur ab infrascripta societate Rosarii et nulla est in eo officiatura; suppellectiles huius altaris sunt decentes et descriptae sunt in polliceis exhibitis et ut ante positis. Altare sub titulo beatae Virginis Mariae a Rosario, marmoreum cum portatili, intra cappellam rastris ferreis clausam, in quo erecta est imago eiusdem beatae Virginis Mariae in ligno sculpta, sub crystallo clausa, satis instructum et bene ornatum, etiam quoad eius suppellectiles, quae sunt descriptae in praecitatis polliceis; circum quod depicta sunt misteria eiusdem Rosarii, ut ordinatum fuit in visitatione anni 1716. Spectat hoc altare ad societatem sub eodem titulo canonicè erectam, ut recognitum fuit in citata visitatione 1716

quaeque habet redditus et onera prout describuntur in praedicta policea praesentata a reverendo domino rectore, a quo missae celebrantur; pro quibus eadem societas tenetur. Huic societati adnexum est suffragium in quo septuaginta pii homines descripti sunt, qui solvunt |83| tres marculos singuli in prima dominica uniuscuiusque mensis et quatuor in die Purificationis beatae Virginis Mariae, praeter eleemosynam viginti solidorum, quae offertur prima vice qua describuntur, ex quibus oblationibus societas celebrare facit unum officium duodecim missarum pro quoque defuncto confratre et alii supraviventes tenentur recitare unum rosarium; praeterea infra octavam Defunctorum celebratur unum officium missarum sex. Altare sancti Rocchi, marmoreum cum portatili et icone depicto, de ratione nobilis familiae comitum de Lanfranchinis, ad quam spectat onus illud manutenendi, cui adnexum est benefitium simplex, de iure patronatus eiusdem nobilis familiae, cum onere missarum quatuor in hebdomada, quod onus, cum in visitatione anni 1716 pro medietate tantummodo adimpleri observatum fuerit et decretum ut integre adimpleretur, sed neque ex medietate modo adimpletur, prout declaratur in praedictis policeis reverendi domini rectoris ut supra praesentatis, ideo decrevit: Decretum. Iterum monendum esse nobilem dominum comitem Alexandrum Lafranchini et quoscumque ad quos spectat ut integre adimpleat oneri praedicto, cum districtum |84| Dei iudicium illis timendum sit si negligant diutius et imineat ultio contra ipsos etiam in hoc saeculo. Visitavit baptisterium, juxta ianuam majorem ecclesiae positum, rastris ligneis sera munitis circumdatum, quod adhuc non est divisum pro executione ordinationis in visitatione anni 1716. Visitavit olea sancta, in custodia sera et clavi munita, a parte evangelii altaris majoris et vascula majora, quae mittuntur ad recipienda eadem olea sancta ab hac cathedrali. Vidit etiam vascula minora oleorum cathecumenorum, chrismatis ac infirmorum argentea, rite instructa. Vidit etiam et visitavit confessionalia, unum stabile, alterum mobile, in hac ecclesia existentia pro audiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Visitavit sacristiam et in ea suppellectiles et vasa sacra, quae descripta sunt in policeis ut supra exhibitis. Visitavit denique totam ecclesiam, divo Martino episcopo dicatam, quae est consecrata et dies anniversaria consecrationis colitur in die tertia octobris cuiuslibet anni, ut in praecedentibus visitationibus. Vidit in ea suggestum, ex quo concionatur tempore Quadragesimae et concionator eligitur |84| ab illustrissimo et reverendissimo domino episcopo et accipit stipem librarum triginta sex ab hac ipsa communitate. Posthaec pio doctrinae christianae operi incubuit et per varias interrogationes, de suo mandato factas, pueris, puellis atque adultis circa misteria principaliora nostrae fidei aliaque necessaria ad aeternam salutem, omnes bene edoctos esse cognovit. Dimissa schola doctrinae christianae, visitavit campanile, in quo duae sunt campanae et domum parochialem inibi adnexam, sufficientes structurae. Receptus subinde in sacristia parochialis ecclesiae praedictae, una cum suo illustrissimo domino vicario generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt consilarii huius comunitatis, qui interrogati de vita, moribus et officio tam reverendi rectoris quam aliorum sacerdotum in hac paroecia degentium et an in ea sint publici peccatores, responderunt parochum et sacerdotes religiose vivere, prompte officium suum exercere nullumque ex villicis publicum peccatorem adesse. Reverendus dominus Ioannes Campalto, rector huius ecclesiae annorum 66 circiter, quam obtinuit per concursum et ostendit bullas suae collationis, obtulit quoque |85| libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum, quos vidit et visitavit, bene instructos. Reverendus dominus Andreas Viola, sacerdos annorum 33 circiter. Venit etiam Lucia uxor Francisci Martinelli, obstetrix huius loci quae, examinata circa baptismum in casibus necessitatis conferendum et idoneam se se ostendit. [A margine: Sant'Erasmus] Visitavit postea publicum oratorium sub titulo Sancti Erasmi, cum unico altare, quod habet mensam ex muro, portatile et iconem depictum, de ratione huiusmet communitatis, a qua manutenetur piorum eleemosynis; eius suppellectiles sunt pauperrimae. Desunt apparamenta pro celebranda missa, quia raro in eodem oratorio celebratur et ea occasione desumuntur a parochiali. Ordinata. Altare decentius restauretur et reponatur intra capellam – removeatur icon et eius loco ponatur supra altare imago sancti Erasmi in petra vel saltem ex ligno sculpta – mundiores mappae apponantur, quatuor saltem candelabra, cum vasibus et flosculis collocentur – |85| provideatur de stragula qua altare cooperiatur – sperae vitreae et ante illas retia ferrea ponantur ad fenestras et ipse fenestrae restaurentur – tectum huiusmet oratorii restauretur, ne aqua depluat – removeatur ab hoc oratorio cattalectum. Oratorium in aedibus privatis nobilis domini comitis Vinciguerrae de Sancto

Bonifatio nunc amplius non extat et profano usui locus est restitutus. Rediit denique ad parochialem ecclesiam supradictam, in qua oravit pro defunctis factisque infrascriptis ordinationibus, pastorem visitationem ipsiusmet parochialis ecclesiae in Domino absoluit. Ordinata. Ostiolum tabernaculi vestiatur intus panno serico albo et foris pingatur imago Domini nostri Iesu Christi – dividatur quam primum fons baptismalis juxta ordinationem in visitatione anni 1716, aliter in casu negligentiae suspendetur – ostiolum custodiae oleorum sanctorum pingatur decenter et in eo describantur litterae quibus cognoscatur custodiri olea sancta – confessionale stabile aperiatur in fenestella, removendo cratem ligneam et fenestella ipsa muniatur crate tantummodo ferrea - [86] planetae duae, scilicet coloris albi et rubri et tertia violacei, sarciantur a parte anteriori – sarciantur missalia et missae novissimae sanctorum ponantur – bireta nova sacerdotalia parentur – in sacristia aperiatur fenestra a parte meridiei, in qua sperae vitreae ponantur aperiendae et claudendae, ita ut, iis apertis diurno et sereno tempore, humiditas quae in eadem sacristia est cesset. Absoluta visitatione parochialis ecclesiae Balneoli Nogarolarum, ad aedes suae mansionis reversus quieti paulisper indulget et prandium sumpsit. Die antedicta 14 maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, prandio sumpto receptisque ab admodum reverendo rectore, reggentibus et populo ipsius loci Balneoli devenerationis argumentis, rhedam cum suo comitatu conscendit et ad parochialem ecclesiam Sancti Laurentii Nogarolarum iter arripuit. Ad confinia praesto ei fuit admodum reverendus dominus Ioannes del Fantasia, archipraesbyter de Nogarolis, una cum reggentibus et frequenti populo eius parochiae, qui dominationem suam illustrissimam et reverendissimam devenerati, eam prosequuti sunt. In itinere descendit e rheda ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Leonardi, infra limites plebis [86^v] Nogarolarum, in contracta Pratellarum, [a margine: San Leonardo] quod asseritur de ratione nobilis domini comitis Ioannis Baptistae Bevilaqua Lazise, in quo unicum est altare, cum portatili et icone depicto. Vidit ipsum oratorium ruinam minitans et propterea fulcris tectum suspensum habetur; fenestras destitutas esse speris vitreis et retibus ferreis. Observavit altare carens omni necessaria suppellectile et iconem male servatum. Retro ipsum altare nullae sunt suppellectiles sacrae aut vasa pro sacrificio missae. In hoc oratorio et in hoc ipso altari est obligatio celebrandi bis in hebdomada, ex legato quondam Bartholomaei Gaspari de Pratellis, ut in visitatione anni 1716 et, cum ibi adesset admodum reverendus dominus Ioannes de Fantasia, archipraesbyter plebis Nogarolarum, interrogatus fuit quomodo adimpleatur haec obligatio et a quo percipiantur redditus provenientes ex praedicto legato; qui respondit se percipere fructus ex eo legato ex una petia terrae in qua etiam sita est domus, quae domus et petia terrae ab eodem locantur praetio tronorum sexaginta sex Michaeli Melino huius loci et, cum hoc oratorium et altare sit ineptum ut in eo sacrificium missae offeratur, ipse celebrat vel celebrare facit in ecclesia [87] parochiali tot missas quot possunt celebrari habito respectu manualis eleemosynae triginta solidorum ex supradicto reddito tronorum sexaginta sex. Decretum. Quibus observatis et intellectis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit monendum esse in forma nobilem dominum comitem Ludovicum Bevilaqua Lazise antedictum ut, termino bimestris currentis a die monitionis sibi intimatae, teneatur, quatenus praetendat habere ius patronatus in hoc oratorio et altare, restaurare idem oratorium et altare in omnibus et per omnia in quibus est restaurandum. Itidem eodem termino altare de necessariis suppellectilibus nec non sacristiam de illis omnibus quae necessaria sunt ad divinum sacrificium peragendum, ita ut intra eundem terminum admodum reverendus dominus archipraesbyter praedictus attestari possit restauratum oratorium et altare et de omnibus ut supra provisum fuisse; aliter, elapso eo termino et oratorio, altare et sacristia non provisus, careat praefatus dominus comes Ludovicus quocumque jure quod fortasse praetendat aut praetendere possit super idem oratorium et altare, resservata dominationi suae illustrissimae et reverendissimae facultate providendi aut in jure ipso substituendi prout [87^v] melius sibi videbitur et interim declaravit ipsum oratorium suspensum et, quoad missas in eo celebrandas, sibi resservavit providere, mandans tamen ut pro interim celebrentur juxta formam a domino archipraesbytero expositam et ita et cetera, omni et cetera.

Qua visitatione peracta, iterum rhedam suam conscendit et, prosequendo iter inceptum, ad edes parochiales Nogarolarum pervenit, in quibus se se recepit et absque cibo obdormivit.

[A margine: NOGAROLE] Die mercurii 15 maii 1754 – Facto mane omnibusque in ecclesia paratis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus saepedictus ad portas aedium parochialium descendit ibique super pulvinaribus stratis genuflexus, sub baldachino – a quatuor confratribus societatis Sacramenti gestato – crucem, sibi oblatam ab admodum reverendo domino archipraesbytero pluviali induto, adoratus et deosculatus est; praecedentibus scholis huius parociae et clero divinas laudes decantantibus, ecclesiam parochialem processionaliter adivit, in cuius limine sistens aqua benedicta - aspergillo accepto e manibus ipsius domini archipraesbyteri – se signavit et frequentem populum aspersit atque thurificationis honorem recepit; deinde ante altare majus stratus, divinum **[88]** Sacramentum adoravit et, decantatis interea decantandis, altare ipsum ascendit, populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam de more est impartitus. Mox ad thronum sibi paratum in cornu evangelii venit, ubi violacei coloris sacris indumentis vestitus, assistentibus in dalmaticis admodum reverendo domino Antonio Maria Bighignato, curato parochialis Sanctissimae Trinitatis Veronae, pro diacono atque admodum reverendo domino Francisco ab Aqua, rectore Raldoni, pro subdiacono, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio eidem proximo, quod etiam visitavit, persolvit. Domissis violaceis albisque sumptis sacris vestibus praemissisque adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, servatum in pixide argentea in cupa intus inaurata et pede cupreo inaurato et in tabernaculo marmoreo, sub sera et clavi argentea tute custoditum. Vidit ostensorium argenteum radiatum et amygdalam argenteam intus inauratam pro deferendo Viatico ad infirmos, pro cuius decenti associatione extant suppellectiles de quibus in policea quam, una cum aliis in mandato **[88^v]** requisitis, obtulit admodum reverendus archipraesbyter et in fine huius libri posui ad litteram H. Ex habitis informationibus cognovit hoc Sacramentum statutis temporibus renovari; dari signa in sero quando ad infirmos deferendum est; indulgentias associantibus concessas publicari; sub hac cura adesse animas a comunione 450, in totum vero 660; communicatis in Paschate schedas distribui et subinde colligi nullumque in hac paroecia esse qui non paruerit ecclesiae praecepto. Lampadem diu noctuque ardere ante idem Sacramentum impensis domini archipraesbyteri, de cereis autem providet altare hoc comunitas huius loci; processionem fieri cum eodem divino Sacramento in die Corporis Domini. Deinde populo ipsomet Sacramento benedixit. Sumptis propterea sacerdotalibus vestibus, sacrosanctum missae sacrificium obtulit aeterno Patri; quo peracto, supra mille utriusque sexus christifideles eucharistico Pane cibavit. Reposito divino Sacramento et eidem assistentibus in dalmaticis praefatis admodum reverendis dominis Bighignato et ab Aqua, supra mille utriusque sexus christifideles sacro chrismate in fronte perunxit. **[89]** Dum praemissa agerentur, illustrissimus dominus vicarius generalis se contulit ad visitanda oratoria infrascripta. [A margine: Beata Vergine Maria del Carmine] Et primum, visitavit publicum oratorium sub titulo Beatae Virginis Mariae a Carmelo, situm in contracta Pratellarum, *la Colombara* nuncupata, intra limites parochialis Nogarolarum, de jure patronatus nobilium virorum dominorum comitum Andreae et fratrum Gioanelli, patritiorum Venetorum, ordinaria auctoritate erectum. Unicum habet altare, marmoreum cum portatili, in quo est erecta imago eiusdem beatae Virginis ex marmore sculpta ac retro ipsum altare est icon depictum, rappresentans imaginem ipsiusmet beatae Virginis a Carmelo, cum alia sancti Antonii; nulla in eo est – ut fuit assertum - instituta officiantura sed in eo diebus festis Nobiles Viri Domini Patroni celebrare faciunt unam missam ex eorum devotione et pro comoditate incolarum, quam celebrat reverendus dominus Ioannes Gambarini, sacerdos de Turmine degens sub hac paroecia Nogarolarum. In hoc oratorio vidit amygdalam argenteam intus inauratam, umbellam, fanalia et caetera neccessaria pro communicandis infirmis huius contratae, quibus utitur dominus **[89^v]** archipraesbyter quoties occasio occurrit, cum distet hoc oratorium a plebe tribus miliaribus et, hyemis tempore, viae sint difficilimae. Duo etiam confessionalia amovibilia observavit, in quibus audiuntur confessiones sacramentales ab eodem domino archipraesbytero vel ab alio sacerdote ab ipso delegato ac praesertim in solemnitate titularis beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo. Vidit sacram reliquiam ex pluviali sancti Cajetani Thienei, in theca argentea ovalis formae, dupplici crystallo, munita sigillo et litteris illustrissimi et reverendissimi domini domini Aloysii Foscari, patriarchae Venetiarum diei 25 februarii 1748, in hac curia recognita die 7 iulii eiusdem anni, quae exponitur in ostensorio argenteo et custoditur cum eodem in custodia marmorea super idem altare. Visitavit retro altare armarium in quo servantur sacrae suppellectiles et vasa, quae descripta sunt in policea exhibita et

ut ante posita omniaque rite instructa observavit. Quibus habitis et coetera.. Visitavit publicum oratorium sub titulo Sancti Donati de Varana, intra limites plebis antedictae Nogarolarum, cum altare marmoreo in mensa et in reliquis partibus ligneum, [90] [a margine: San Donato di Varana] quod restauratum fuit anno 1605, ut constat ex inscriptione quae legitur in lembo iconis hisce verbis: *Ex testamento perillustrissimi et excellentissimi iuris utriusque doctoris et equitis domini Bevilaquae de Bevilaquis de Lazisiis, Ludovicus nepos F.C. anno 1605.* Habet portatile et iconem a Paulo Farinato depictum. In hoc altare et oratorio est beneficium de jure patronatus admodum reverendi domini archipraesbyteri huius plebis, cum onere celebrandi missas omnibus diebus festis et redditus eiusdem benefitii percipiuntur ex agris eidem oratorio contiguis, descriptis in policea domini archipraesbyteri, qui locantur praetio ducatorum viginti quinque nec non ex livellis, nempe minalium tresdecim frumenti et medii plaustrum uvae ab excellenti medicinae doctore Lazaro et fratribus Riviera, successoribus nobilis domini comitis Marci Bevilaqua Lazise, qui successit doctori Marco Torti et minalium undecim frumenti et medii plaustrum uvarum a domino comite Ludovico Bevilaqua de Lazisio quondam domini comitis Ioannis Baptistae. Modernus rector huius benefitii est reverendus dominus Antonius Zuradelli, institutus cum bullis huius curiae diei 4 novembris 1733; quod admissum fuit etiam in titulum sui patrimonii; nunc celebrare facit missas diebus festis pro praedicto onere et supplet reverendus dominus Iacobus Cordioli, sacerdos de Villafranca. [90v] Rector praedicti benefitii obtinuit decretum ab hac curia sub die 28 novembris 1747, qui eidem concessa fuit facultas impendendi fructus eiusdem benefitii perceptos eodem anno 1747 et percipiendos anno 1748 in restauratione seu reedificatione ecclesiae et domus praefati benefitii Sancti Donati de Varana, sed nondum onus assumptum reficiendi oratorium et providendi ipsum de suppellectilibus adimplevit, cum succumbere coactus fuerit et adhuc cogitur dispendiis litis pro recuperando livello debito a domino comite Ludovico Bevilaqua Lazise; nihilominus monitus fuit ut quamprimum potuerit onus ipsum adimpleat, exequendo praesertim quod infra erit ordinatum. Adhuc in muro a cornu evangelii altaris collitur imago sancti Donati in petra sculpta, quae sustinetur a base petrea, in qua sculptum est stema familiae Scalligerorum. Retro altare vidit locum in quo desumuntur apparatus pro missa celebranda; nondum exequuta fuit ordinatio visitationis 1716 de armario pro ipsis apparatus, de labello et manutergio, de genuflexorio et cruce; deficit etiam planeta nigri coloris, aliae quae extant admodum [91] paupera forma sunt instructae. Altare ipsum nullo ornatu paratum est; inferiores mappae vix possunt adhiberi et, quamvis rector seu cappellanus non ressideat in domo contigua, ostium est apertum, non obstante contraria ordinatione facta in visitatione anni 1716. caret idem altare umbella ordinata in praecitata ordinatione et fenestrae tres carent speris vitreis et omnes retibus ferreis. Ordinata. Quaecumque deficiunt oratorio, altari et pro sacrificio missae, ut supra est observatum, decenti forma parentur et praesertim exequantur ordinationes factae in visitatione anni 1716 – quae autem existunt non admodum ornata aut decentia ornatius et decentius provideantur – ostium obturetur et obturatum remaneat donec rector vel sacerdos ab eo substitutus ibidem non ressideat. Quibus habitis, ad parochialem ecclesiam antedictam reversus, visitavit fontem baptismalem, juxta januam majorem ecclesiae situm. Olea sancta viditque vascula majora in quibus [91v] recipiuntur eadem olea ab hac cathedrali et qui mittitur ad ea percipienda stipem accipit ab hac communitate. Vidit etiam vascula minora praedictorum sanctorum oleorum et omnia ex stamno rite facta observavit. Visitavit duo confessionalia, in ecclesia disposita pro excipiendis sacramentalibus utriusque sexus christifidelium confessionibus. Altare majus marmoreum, nuper erectum una cum hac ipsa ecclesia, ab admodum reverendo domino Ioanne del Fantasia, archipraesbytero huius plebis, quamvis hoc altare pertineat ad hanc communitatem et ab ea sit manutenendum, prout constat ex anteactis visitationibus. Ex proprio et in aliqua parte ex eleemosynis istud altare erexit dominus archipraesbyter idque sua pietate motus qua dilexit decorem domus Dei. In hoc altare nulla est officitura aut obligatio missarum, sed in eo tantum celebratur ex devotione. Altare Corporis Domini, de ratione societatum sub eodem titulo et beatae Virginis a Rosario, a quibus manuteneri debet; quae societates canonice institutae fuerunt, ut [92] alias recognitum fuit et habent suos redditus et onera prout in policea domini archipraesbyteri, ut ante posita, inter quae est illa unius officii missarum octo, de quo in visitatione anni 1716 et, cum ex policea domini archipraesbyteri observasset hoc officium non celebrari, sed impendi redditus provenientes ex hac obligatione pro eleemosynis missarum tradendis concionatoribus pro tempore, monuit ipsum dominum

archipraesbyterum ne id permittat, cum hoc modo mens testatoris non impleatur, qui mandavit non ut missae celebrarentur, assignandae in Quadragesima vel aliis temporibus, sed unum officium missarum octo. Ceterae obligationes manutenendi hoc altare et aliud beatae Virginis Mariae a Rosario exequuntur a societatibus ipsis. In hoc altare est portatile et icon depictum a Felice Brusasorzi. Altare beatae Virginis Mariae a Rosario, cum portatili et icone depicto, de ratione societatis de qua supra facta est mentio. Visitavit denique suggestum, ex quo concionatur diebus festis Quadragesimae; concionator eligitur ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo et accipit stipem ab hac communitate et ab illa Pradellarum scutorum quatuor. [92^v] His omnibus peractis, illustrissimus et reverendissimus praesul in aedes parochialis restitutus prandium sumpsit. [A margine: Santa Margharita] Die antedicta 15 maii 1754 post prandium. Illustrissimus dominus vicarius generalis se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sanctae Margharitae virginis et martyris, in contracta nuncupata *Saletta*, intra limites plebis Nogarolarum, de jure nobilis viri Alexandri Duodo, patritii veneti, auctoritate ordinaria erectum. Unicum in eo est altare marmoreum cum portatili, et icone depicto rappresentante imagines sanctae Margaritae praedictae, sancti Andreae Avellini et beatae Virginis Mariae, in qua est officitura quotidiana ex bonis huic oratorio affectis, quae incorporata fuerunt cum praediis nobilis familiae Duodo et nobilis vir Eustachius Duodo in suo testamento ordinavit ut perpetuo haec missa quotidiana celebraretur, onerans haeredes suos pro hac obligatione providendo oratorium ipsum et sacristiam de omnibus necessariis, quod huc usque exequutum fuit et ut ex policea domini archipraesbyteri ut ante posita. Nunc cappellanus huius oratorii est reverendus dominus Florius Peroni. Vidit sacristiam, sacras suppellectiles et vasa sacra, servata in armario ligneo, quiae descriptae sunt in policea exhibita et in fine huius libri posita ad litteram H illasque observavit, partim laceras [93] partim sordidas, quae minus conveniunt divino sacrificio peragendo et religioni qua praestat nobilis vir Leonardus Duodo. Ordinata. Sarciantur suppellectiles quae sunt lacerae – purgentur purificatoria, corporalia et coetera quae sunt mundanda et munda continuo serventur – provideatur de bireto sacerdotali decenti. Quibus habitis et cetera. Congregata interea in ecclesia parochiali Nogarolarum schola doctrinae christianae, in eadem se contulit illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus adoratoque divino Sacramento, praedicto sancto operi, quod illi maxime est cordi, incubuit et per varias interrogationes, de suo mandato factas, circa principaliora fidei misteria aliaque ad aeternam salutem necessaria et omnes, pueros scilicet, puellas et adultos bene edoctos esse, cum non modica animi sui laetitia cognovit comendatusque est vigilantiam admodum reverendi archipraesbyteri et hortatus est omnes ut in huiusmodi sancti operis exercitio perseverent. [A margine: San Giovanni Battista] Dimissa schola doctrinae christianae, se contulit ad visitandum publicum oratorium sub titulo Sancti Ioannis Baptistae in Castro, intra limites plebis Nogarolaru quod vidit ferme in eius omnibus [93^v] partibus a solo instauratum et eleganti forma constructum. Nondum tamen altare, quod est unicum, in eo completum est, cum nondum eiusdem oratorii instauratio perfecta sit. Hoc oratorium est de jure patronatus nobilis domini comitis Pii Bevilaqua Lazise, filii quondam nobilis domini comitis Claudii. In hoc oratorio nulla est obligatio missarum, prout fuit etiam observatum in visitatione anni 1712. Prope ipsum oratorium est locus pro sacristia per quem ingreditur in aedes privatas; suae suppellectiles non deficiunt quae respondeant eleganti structurae oratorii. Ordinata. Claudatur hostium per quod e loco sacristiae patet additus in aedes privatas. Quibus peractis, ad aedes parochiales reversus, absque cibo obdormivit. Die iovis 16 maii 1754. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus in parochialem ecclesiam antedictam descendit, in qua, audito sacrosancto missae sacrificio, ipsemet istud etiam obtulit ac deinde iterum sacra Eucharistia plurimos refecit et aliis sacramentum confirmationis ministravit. [94] Hisce absolutis, visitavit sacristiam et in ea sacras suppellectiles et vasa quae descriptae sunt in policea exhibita et ut ante reposita viditque apparamenta, diviti ornatu instructa a beneficentia ipsius domini archipraesbyteri, ita ut speret hasce suppellectiles auctas iri ab eodem domino archipraesbytero et nihil ordinandum censuit. Visitavit etiam campanile, in quo duae sunt campanae, quae manentur ab hac communitate, a qua coemeterium quoque manentur. Visitavit denique et vidit chorum et totam ecclesiam, sancto Laurentio levitae et martyri dicatum, quae majori ex parte a fundamentis ab eodem admodum reverendo domino Ioanne del Fantasia archipraesbytero suis sumptibus et piorum eleemosynis erecta est, cui tantummodo deficit pavementum. Eius structura regulari architectura perfecta conspicitur. Comendavit ipsius domini

archipraesbyteri beneficentiam, industriam et solertiam, a successoribus suis imitandam. Visitavit etiam domum parochialem, satis decenter pro parochorum usu constructam, in qua receptus, una cum suo illustrissimo domino vicario generali, pro tribunali sedit et coram eo, de suo mandato vocati, comparuerunt [94] reggentes huius communitatis Nogarolarum, qui interrogati de vita, moribus et officio tam reverendi archipraesbyteri quam sacerdotum in hac plebe degentium et an in ea adsint publici peccatores, responderunt dominum archipraesbyterum et sacerdotes honeste vivere, quemcumque eorum proprio officio non deesse nullumque – Dei gratia – publicum peccatorem aut scandalum existere. Comparuerunt subinde etiam vocati admodum reverendus dominus Ioannes del Fantasia annorum 65, archipraesbyter huius plebis, quam obtinuit per concursum anno 1729, prout ex litteris ibidem ostensis esteque vicarius foraneus in hinc partibus ab hac curia deputatus, prout ex mandato diei 15 iulii anni 1734 quod obtulit, cui subiecti sunt parochi et sacerdotes descripti in policea, ut ante per se exhibita et ut ante posita. Cumque ex informationibus habitis cognovisset illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus congregationes casuum conscientiae non celebrari juxta formam a constitutionibus praescriptam, mandavit ut deinceps celebrentur servata eadem forma et praesertim ut instituatur officium cancellarii et eligatur ex subiectis huic vicariae idoneus sacerdos, ut [95] illud exercent, a quo describantur congregationes celebrandae, nomina eorum qui convenient et aliorum qui negligentes fuerint, casus conscientiae qui proponuntur et decisiones adque quidquid occurreret describendum juxta formam praedictarum constitutionum, monendo eundem dominum vicarium foraneum ut sedulo studio curet ut casus definiantur juxta mentem regnantis pontificis, qui edixit “definiendos, postquam auctores plurimi et praesertim qui sanctitate et doctrina excellant in consilio adhibiti fuerint et sequantur illae opiniones quae auctoritati et rationi plane consenserint, unde novitates opinionum vitentur et omnes a laxis sententiis abhorreant”. Libros curae, matrimoniorum scilicet, baptizatorum, mortuorum et status animarum sibi oblatos illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus etiam visitavit et rite instructos cognovit. Reverendus dominus Vincentius Cordioli, cappellanus aetatis annorum 27 circiter, qui fuit hodie pro cura animarum huius loci ad annum approbatus pro maribus et infirmis tantum. Reverendus dominus Iacobus Cordioli, cappellanus substitutus a reverendo rectore Sancti Donati de Varane, annorum 50 circiter. [95] Reverendus dominus Florius Peroni, annorum 33, cappellanus Sanctae Margharitae. Reverendus dominus Ioannes Gambarini, annorum 31, cappellanus in oratorio Pratellarum *alla Colombara*. Qui omnes mandata suorum ordinum debita reverentia obtulerunt. Angela Cazzadori et Dominica Perana, huius loci obstetrices non comparuerunt eo quia monitae non fuerunt ut comparerent; nihilominus, cum constiterint illustrissimo et reverendissimo praesuli ex habitis informationibus eas esse sufficienter instructas in eorum officio quoad sacramentum baptismi in casibus necessitatis administrandum, eas approbandas censuit. Hisce absolutis, prandium sibi paratum sumpsit. Die antedicta 16 maii 1754 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, post prandium et post quietem, in praefatam ecclesiam Nogarolarum rediit et in ea genuflexus Deo preces fudit et cum recitatione psalmi *De Profundis* visitationem ipsius plebis in Dei nomine absolvit. Egressus ex eadem parochiali receptisque a domino archipraesbytero, clero et reggentibus loci obsequii et devenerationis argumentis ac gratiarum actione pro beneficio visitationis eis impertito, rhedam suam cum [96] suo comitatu consensus, Veronam versus iter arripuit et ad suam residentiam, divina favente gratia, incolumen se se restituit. Termini generales assignati pro exequendis ordinationibus factis in praesenti visitatione. Pro illis quae spectant ad sacramenta terminum statuit duorum mensium; quatuor pro illis quae sacristiam et altaria respiciunt; sex vero pro illis quae fabricam et ecclesiam concernunt. Taxa. Pro quaque persona et quoque pasto: troni 2. Pro quoque equo et quaque die: troni 2. Et expeditae fuerunt copiae ordinationum cuilibet reverendo parochi ad hoc et cetera. Ioseph Bovio, pastoralis visitationis cancellarius.

[Nota: *da questo punto iniziano le pagine di documenti presentati dai rispettivi parroci; sul manoscritto sono prive di numerazione, perché si tratta di fascicoli distinti. Per favorire la lettura, si è provveduto ad una numerazione a matita, senza calcolare le numerose pagine bianche*]

[97] A – Parochialis ecclesia Sanctae Mariae CASTRI OSTILIAE

[98] [A margine: Copia et cetera] Illustrissimo et eccellentissimo signor mio patrone colendissimo. Sono quaranta e più anni da che non sono state visitate le due chiese parochiali di Ostiglia: quella de Corriggioli e

quella di San Biaggio di Castelbelforte, tutte comprese in questa diocesi, ma situate nello Stato mantovano. Non posso deferire più questa visita per provvedere a ciò che occorresse riguardo alla gloria di Dio, alla riforma di quel clero ed alla salute di quelle anime e penso di essequirla dopo la ottava della prossima Pasqua. Ne avanzo pertanto alla eccellenza vostra riverente notizia perché, potendo occorrer neccessità del braccio forte della sua autorità, in qualche caso che accadesse, in tale occasione si degni l'eccellenza vostra far precorrere quegli ordini che crederà opportuni tanto a chi presiede in Mantova quanto a quelli che avessero pressidenza nelle sudette terre. Dalla pietà e religione di vostra eccellenza spero che resterà favorito il pastorale mio ministero e divotamente mi rassegno: di vostra eccellenza divotissimo obligatissimo servitor Giovanni vescovo di Verona. Illustrissimo et eccellentissimo signor conte Cristiani, grancancellier di Milano e plenipotenziario et cetera – Milano

[99] Illustrissimo e reverendissimo signor signor patron colendissimo. Mi trovo coll'onore del pregiatissimo foglio di vostra signoria illustrissima e reverendissima del primo andato. Dal medesimo rimango inteso di avere ella determinato di passare alla sacra visita delle chiese parrocchiali di Ostiglia, non meno che di quelle di Correggioli e di San Biaggio di Castelbelforte, dipendenti dalla di lei diocesi. Secondando io colla maggior sodisfazione le pie intenzioni di vostra signoria illustrissima, spedisco in questo ordinario l'ordine alla giunta di Mantova, non solo perché non so se le faccia veruna difficoltà, ma ancora ad oggetto che le sia prestato in tale occasione il braccio forte e se le praticino tutti gl'onori soliti usarsi in simili contingenze; alla sorte che ho di partecipare a vostra signoria illustrissima in riscontro di detto suo foglio le disposizioni che do in questo assunto mi si aggiunge anche l'altra di ripeterle gl'atti dell'immutabile ossequio, con cui mi dichiaro di essere devotissimo osservantissimo servitore Blirziano. A vostra signoria illustrissima e reverendissima. Milano 6 marzo 1754. All'onorevole vescovo di Verona.

[100] [A margine: Copia et cetera] Illustrissimo signor signor colendissimo. Con benignità è stata ricevuta la notizia della visita che sono per fare delle chiese parochiali di Ostiglia, di Correggioli e di San Biaggio di Castelbelforte da sua eccellenza il signor conte Cristiani, grancancellier di sua maestà la regina di Ungheria et cetera, pluripotenziario et cetera e mi ha onorato di generosa risposta con sua lettera del dì 6 di questo mese, nella quale mi avvisa di aver datti ordini a cotesta illustrissima giunta affinché la medesima visita venga assistita come occorresse col braccio forte. Come vostra signoria illustrissima ha il merito di essere il capo, così stimo ancora mio dovere di unire a medesimi ordini già dati da sua eccellenza le mie pastorali premure, pregandola a volerle riguardare in tale occasione con quei sentimenti di pietà e di religione che sono proprii del di lei animo. Riconoscerò ancora da vostra signoria illustrissima il buon effetto che spero dalla visita che sono per intraprendere, per esser pronto sempre a servirla, come con vera stima mi protesto: di vostra signoria illustrissima divotissimo obligatissimo Giovanni vescovo di Verona. Illustrissimo signor conte don Leone Peyri, presidente del supremo Consiglio di giustizia e capo della Giunta (Mantova). Verona li 18 marzo 1754.–

[101] Illustrissimo e reverendissimo signor signor colendissimo. Per appunto come si è servita vostra signoria illustrissima e reverendissima significarmi colla stimatissima sua de 18 andante, ho ricevuti gli ordini da sua eccellenza il signor conte Cristiani, reale governatore e ministro plenipotenziario per rapporto alla visita pastorale che vostra signoria illustrissima deve intraprendere nelle chiese parochiali di Ostiglia, Correggioli e San Biaggio di Castelbelforte. Ho io pertanto l'onore di dirle d'aver già date le corrispondenti disposizioni, acciò vostra signoria illustrissima sia servita con tutti gli onori e solite formalità praticategli in simili circostanze ed, occorrendo, anche del braccio forte; e a nulla più chiamandomi questo assunto, profitto dell'incontro per raffermarmi quale con la più distinta stima sono: di vostra signoria illustrissima e reverendissima divotissimo e obligatissimo servitore il conte de Peyri. Mantova, 21 marzo 1754. Monsignor vescovo di Verona.

[102] Parochia di Santa Maria del Castelo d'OSTIGLIA. [103] Questa chiesa parochiale di Santa Maria del Castello d'Ostiglia è di jus patronato e nomina di sua maestà augustissima imperadrice e padrona nostra. La stessa chiesa non possiede fondo alcuno per mantenimento del paroco; solo le viene dall'arciducal camera di Mantova somministrato come siegue: frumento stara mantovani 40 – vino carra 4 – fieno carra 4 – contanti di Mantova lire 200. Si trova aver li seguenti livelli. Li fratelli Braghirolli pagano lire otto soldi cinque per una

